Peccat. merit. & remiſſ. cap. 10.) cum lex non eſſet, *quia lex non erat, qua arguente demonſtraretur, ſive lex rationis in parvulo, ſive lex litteræ in populo.* Sed regnavit, *inquit*, mors ab Adamo uſque ad Moyſen, *quia nec lex data per Moyſen potuit regnum mortis auferre, quod ſola Chriſti abſtulit gratia.* Et lib. 6. contra Julian. cap. 4. *Erat* (inquit) *peccatum*, ſed *non deputabatur, quia non cognoſcebatur. Per legem enim, ſicut in alio loco dicit* (Rom. 3. 20.) *cognitio peccati. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, quia nec per Moyſen, ideſt nec per legem regnum ejus ablatum eſt: regnavit autem, & in his, qui non peccaverunt. Quare igitur ſi non peccaverunt? Audi quare: In ſimilitudinem, inquit prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Dedit enim ſe formam poſteris ſuis, quamvis peccata propria non habentibus; ut peccati paterni contagione mererentur, qui per ejus carnalem concupiſcentiam gignerentur.* Hæc Auguſt.

XXX. Objiciebat tertio monumenta Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarum, & aliarum Gentium, quæ multa annorum millia ſupra Adamun numerant.

Sed non advertit prodigioſus fabulator, ejuſmodi Orientalium nationum annalia infinitis ſcatere erroribus, contradictionibus in annorum ſupputatione, & aliis, quæ ea prorſus incredibilia reddunt. Eas propterea recenſet, & tamquam mendaciſſimas refutat S. Auguſtin. *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 10. videndus. Veritas ergo Divinæ hiſtoriæ humanis, ac profanis, atque ideo inter ſe repugnantibus præferenda eſt. *Cui enim* (cum Auguſt. loquar lib. 18. de Civit. Dei cap. 40.) *melius narranti præterita credimus, quam qui etiam futura prædixit, quæ præſentia jam videmus? Nam & ipſa hiſtoricorum inter ſe diſſonantia copiam nobis præbet, ut ei potius credere debeamus, qui divina quam tenemus non repugnat hiſtoria. Porro autem cives impiæ Civitatis diffuſi uſquequaque per terras, cum legunt doctiſſimos homines, quorum nullius contemnenda videatur auctoritas, inter ſe rebus geſtis ab ætatis noſtræ memoria remotiſſimis diſcrepantes, cui potius credere debeant, non inveniunt. Nos vero in noſtra Religionis hiſtoria fulti auctoritate divina, quidquid ei reſiſtit non dubitamus eſſe falſiſſimum, quomodolibet ſeſe habeant cætera in ſæcularibus litteris; quæ ſeu vera, ſeu falſa ſint, nihil momenti afferunt, quo recte, beateque vivamus.* Et hæc plus æquo forte dicta ſufficiant de Præadamitarum fabula.

QUÆSTIO II.

De Paradiſo Terreſtri.

QUæſtio hæc a præſenti noſtro inſtituto agendi de homine aliena non eſt, ſed circumſtantiam conditionis, ac primi hominis ſtatus attingit. Legimus enim in Geneſi *cap.* 2. quod Deus hominem conditum tulit, & in hoc Paradiſo voluptatis poſuit, ut operaretur, & cuſtodiret illum; & eſſet ei felicis habitationis locus, ſi præceptum ei impoſitum de non comedendo de fructu ligni cujuſdam ſervaſſet. Verum cum ſerpentis ſuggeſtione mulier, ac demum ipſe violaſſet, ambo, præter innumera mala, quibus una cum ſuis Poſteris obnoxii facti ſunt, ut legitur *cap.* 3. e Paradiſo ejecti fuere. Propterea etiam D. Thomas 1. *par. qu.* 102. poſtquam egit de homine, conditione ejus, ac primo ſtatu, de hoc Paradiſo agit. De hoc multas, eaſque fere inextricabiles excitant difficultates Recentiores aliqui; de quibus nihil niſi opinando, & quaſi divinando dici poteſt. Nos, ea quæ Candidato noſtro neceſſaria judicabimus, exponemus.

DUBIUM I.

An Paradiſus fuerit aliquis locus corporeus, & ſpecialis?

§. I.

Reſolutio primæ partis, quod ſit locus corporeus.

I. DIco primo. Paradiſus Terreſtris, qui deſcribitur in Geneſi, fuit locus corporeus. Eſt aſſertio fide certa. Antequam tamen eam probem, ſuppono, Paradiſum aliquando ſumi pro ſtatu, & loco veræ ac ſpiritualis beatitudinis, ut Lucæ 23. ver. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, ideſt in beatitudine animæ, ut *in Tract. de viſione Dei* expoſuimus; & Apoc. cap. 2. ver. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*: ubi de ligno vitæ æternæ per Chriſtum, & de æterna beatitudine ſermo eſt. Paradiſus tamen proprie, & ex vi ſignificationis nominis ſumitur pro horto inſigni, amæno, & ad delectandum compoſito; nomen enim græcum *Paradiſus*, redditur *Hortus*; & in hoc ſenſu ſumimus modo Paradiſum.

II. Probatur primo ratione Div. Thom. 1. *par. qu.* 102. *art.* 1. Ea, quæ de Paradiſo in Scriptura dicuntur per modum narrationis hiſtoricæ proponuntur: ſed in omnibus, quæ ſic Scritura tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas hiſtoriæ; ergo Paradiſus terreſtris locus corporeus eſt, qualem eum Scriptura deſcribit.

III. Confirmatur. Omnia, quæ de Paradiſo terreſtri in Scriptura dicuntur, tamquam de loco corporali dicta proponuntur: dicitur enim Geneſ. 2. ver. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio*; plantari autem proprie eſt rei corporeæ. Additur, quod in eo *poſuit hominem*, *quem formaverat*: homini autem in vita corporali adhuc degenti locus corporeus convenit. Subditur *ver.* 15. quod eum ibi poſuit, ut *operaretur*, & *cuſtodiret illum*: dicitur conſitus fuiſſe arboribus pulchris viſu, & ad guſtandum ſuavibus deſcribuntur flumina ex illo egredientia, lapides pretioſi, & aurum, quæ in eo naſcuntur. Quid ergo illi deerat, ut locus corporalis fuiſſe credatur?

IV. Probatur ſecundo. Quotquot Paradiſi hujus deſcriptionem, repudiato ſenſu hiſtorico, & litterali, ad ſpiritualem, unice detorſerunt; quovis ſæculo reprehenſi ſunt: quapropter ab omnibus fere Patribus culpatur Origenes, quod Paradiſi deſcriptionem ad ſenſum allegoricum traxerit. Unde S. Epiphanius in Ancorato nu. 54. *Ad eumdem* (inquit) *plerique de Paradiſo allegorice diſputant: atque inter cæteros furioſus Origenes adumbratam neſcio quam ſpeciem pro veritate in Mundum invexit. Sic enim diſſerit: non eſt Paradiſus in terris.* Quem errorem ſic refellit nu. 55. *Quod ſi nuſquam eſt in terra Paradiſus, neque vera ſunt, quæ in Geneſi continentur, ſed allegorice dicuntur; nihil deinceps conſonum, ac veritati conſentaneum erit, ſed ad allegoriam univerſa transferentur.* Cum ergo cætera, quæ in Geneſi de creatione Cæli, & terræ, de productione Solis, Lunæ, aſtrorum, plantarum, animalium, non allegorice, ſed ad hiſtoriæ veritatem accipiantur; neque allegorice Paradiſus accipiendus eſt.

V. S. Hieronymus *epiſt.* 61. *modo* 38. *ad Pammachium*, inter errores, quos in libris Periarchon, aliiſque Origenis deprehendit, quintum hunc refert, quod *ſic Paradiſum allegorizet; ut hiſtoriæ auferat veritatem; pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes Cæleſtes intelligens, totamque Paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubvertat.* Et in cap. 10. Danielis; *eorum* (ait) *deliramenta conticeſcant, qui umbras, & imagines in veritate quærentes, ipſam conantur evertere veritatem, ut flumina, & arbores, & Paradiſum putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere.*

Sanctus Auguſtinus eſto, ut infra dicemus, Paradiſum ſpiritualiter multis modis intelligi poſſe concedat lib. 13. de Civitate Dei cap. 21. *Dum tamen* (inquit) *& illius hiſtoriæ veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur*: quod docet etiam *lib.* 8. *de Geneſ. ad litt. cap.* 1. unde *lib. de Hæreſ. cap.* 59. inter alios Seleucianorum, & Hermianorum errores hunc ponit, quod *negant etiam viſibilem Paradiſum*. In idem conſpirant cæteri Patres, etiam Græci, inter quos Chryſoſtomus *hom.* 13. *in Geneſ.* Theodoretus *interrogat.* 25. *in Geneſ.* aliique.

VI. Et merito quidem. Peto enim: narratio, quam facit Moyſes de peccato Adami, & Evæ, in ſenſu litterali, & proprio accipienda eſt an allegorico? Si in ſenſu proprio; ergo, dicam, in ſenſu proprio ſumenda etiam erit narratio de Paradiſo, in quo peccarunt. Probo. Nam ſicut dicitur cap. 2. ver. 9. de Paradiſo: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave; lignum etiam vitæ in medio Paradiſi*: in cap. 3. ver. 6. legitur: *vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulcrum oculis aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*: ubi in utroque contextu fit mentio de *viſu*, & *eſu*, quæ ſunt actiones corporeæ. Quomodo igitur Eva vidit arborem, quomodo manu tulit, quomodo comedit in ſenſu proprio, ſi ibi non erant arbores, & fructus niſi ſpirituales, & allegorici? Allegorice igitur etiam credenda erit illa extenſio manus ad fructum, illa ſumptio, illa comeſtio; & ſic omnia, quæ de peccato primorum parentum credit Eccleſia, fabuloſa erunt, & falſa. Et ut ait S. Epiphanius laudato loco in Ancorato. *Si non eſt Paradiſus ſenſibilis, non eſt ficus, non folia, non comedit Eva, ſed jam fabula eſt.*

VII. Dices primo. Moyſis narratio plura complectitur, quæ nonniſi metaphorice poſſunt intelligi, puta ambulatio Dei in Paradiſo poſt meridiem; ergo pari ratione metaphorice intelligenda ſunt ea, quæ de ipſo Paradiſo narrat.

Reſpondeo, vocem illam, & deambulationem fuiſſe Angeli in forma humana nomine Dei loquentis, & ambulantis; unde fuit vox, & deambulatio vera, & ſenſibilis. Vel dico, quod cum certum ſit contra Antropomorphitas, Deum non habere corpus humanum; abſque gravi abſurdo non poſſemus illam Dei vocem, & deambulationem litteraliter intelligere. At ſi intelligamus litteraliter, quæ de Paradiſo dicuntur, non ſolum non ſequitur abſurdum, immo multa ſequerentur, ſi litteraliter ea non ſumeremus, ut jam dixi.

VIII. Dices ſecundo. Paradiſus, in quem anima Chriſti in triduo mortis ſe recepit, de quo Latroni pœnitenti *Lucæ* 23. *v.* 43. dixit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, fuit Paradiſus terreſtris: ſed hic erat Paradiſus ſpiritualis, non corporeus, quia animam ſpiritualem dedecebat Paradiſus corporeus; ergo &c.

Reſpondeo, nego maj. Paradiſus enim, quo anima Chriſti fruebatur, & qui poſtulatus fuerat a Latrone, & promiſſus fuit a Chriſto, erat Regnum ſuum, quod ſæpe promiſerat, ſeu æterna beatitudo: & proinde non Paradiſus terreſtris, de quo Chriſtus nunquam locutus fuerat.

IX. Dices tertio. Inter Paradiſi arbores recenſetur lignum vitæ: ſed lignum vitæ eſt aliquid ſpirituale: dicitur enim *Prov.* 3. *v.* 18. de Sapientia, quod *lignum vitæ eſt his, qui apprehendunt eam*. Et Apocal. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*; ergo &c.

Reſpondeo ex D. Thom. 1. *p. q.* 102. *art.* 1. *ad* 4. neg. min. *Lignum* enim *vitæ eſt quædam materialis arbor ſic dicta, quia ejus fructus habebat virtutem conſervandi vitam... & tamen ſignificabat aliquid ſpiritualiter: ſicut & Petra in deſerto fuit aliquid materiale: & tamen ſignificavit Chriſtum. Similiter etiam lignum ſcientiæ boni, & mali materialis arbor fuit, ſic nominata propter eventum futurum; quia poſt ejus eſum, homo per experimentum pœnæ didicit, quid intereſſet inter*

ebe-

obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum: & tamen ſpiritualiter potuit ſignificare liberum arbitrium, ut quidam dicunt.

X. Dico ſecundo. Super Paradiſum terreſtrem, etſi corporeum, multæ ſpirituales intelligentiæ fabricari poſſunt. Ita S. Thom. hoc *art.* 1. citato afferens S. Auguſtinum, tum *lib.* 8. *ſuper Gen. ad litt. cap.* 1. dicentem: *Tres ſunt de Paradiſo generales ſententiæ. Una eorum, qui tantummodo corporaliter Paradiſum intelligi volunt: alia eorum, qui ſpiritualiter tantum: tertia eorum, qui utroque modo Paradiſum accipiunt, quam mihi fateor placere ſententiam.* Tum lib. 13. de Civit. Dei cap. 21. ubi *quæ* (inquit) *commode dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter Paradiſo, nemine prohibente dicantur; dum tamen & illius hiſtoriæ fideliſſimum veritas rerum geſtarum narratione commendata dicatur.* Ex quibus ſtatuit S. Thomas: *Ea quæ de Paradiſo in Scriptura dicuntur, per modum narrationis hiſtoricæ proponuntur. In omnibus autem, quæ ſic Scriptura tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas hiſtoriæ, & deſuper ſpirituales expoſitiones fabricandæ.*

XI. Quænam autem ſint ſpirituales expoſitiones, quæ ſupra veritatem hiſtoriæ de Paradiſo poſſint fabricari, aſſignat S. Auguſtin. *lib.* 13. *de Civ. Dei cap.* 21. citato, ſic, *Nemo itaque prohibet intelligere Paradiſum*, vitam Beatorum; *quatuor ejus flumina*, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, aque juſtitiam: *at ligna ejus*, omnes utiles diſciplinas, *& lignorum fructus*, mores Piorum; *& lignum vitæ*, ipſam bonorum omnium matrem ſapientiam; *& lignum ſcientiæ boni, & mali*, tranſgreſſi mandati experimentum.... *Poſſunt hæc etiam in Eccleſia intelligi, ut ea melius accipiamus, tamquam prophetica indicia præcedentia futurorum: Paradiſum ſcilicet* ipſam Eccleſiam, *ſicut de illa legitur in Cantico Canticorum* (4. *ver.* 13.) *quatuor autem Paradiſi flumina*, quatuor Evangelia; *ligna fructifera*, Sanctos; *fructus autem eorum*, opera eorum; *lignum vitæ* Sanctum Sanctorum, utique Chriſtum; *lignum ſcientiæ boni & mali*, proprium voluntatis arbitrium. Hæc D. Auguſtinus.

§. II.

Reſolutio ſecundæ partis, quod ſit locus ſpecialis.

XII. DIco tertio. Paradiſus terreſtris fuit locus aliquis ſpecialis, in certa quadam Orbis regione conſtitutus, & non tota terra, ſeu totus Orbis. Contrarium tenent aliqui Recentiores, Inter quos citatus Pineda *lib.* 1. *Monarchiæ Eccleſ. cap.* 6. & Abrahamus Ortelius *in tabula ſacræ Geographiæ*, volentes, Paradiſum, quem deſcribit Moyſes, eſſe hunc terrarum Orbem in ſuæ conditionis initio omni pulchritudine, fertilitate, amænitate, ac deliciis exuberantem; fontem vero, qui Paradiſum irrigabat, eſſe Oceanum, quem Homerus, & plerique Philoſophorum *fluviorum omnium parentem, fontemque omnium maximum*, appellarunt. Mitto Thalmudiſtas, qui (ut refert Huetius *lib. de Paradiſo terreſtri in præfatione*) nullum ineptiendi finem facientes, ſexaginta vicibus univerſa terra majorem eum faciunt.

XIII. Probatur autem noſtri Aſſerti veritas ex ipſa Moſaica narratione, qua conſtat primo, Paradiſum in Oriente fuiſſe plantatum: ſed tota terra, nedum ad Orientem, ſed & ad Occaſum, Aquilonem, & Meridiem protenditur; ergo &c.

Secundo. *Geneſ.* 2. *ver.* 15. dicitur, quod tulit Deus hominem, quem formaverat, & *poſuit eum in Paradiſo voluptatis*; ergo aderat alia terra extra Paradiſum, in qua hominem formavit, & ex ea eum in Paradiſum tranſtulit.

Tertio. *Cap.* 3. *ver.* 23. & 24. In pœnam peccati emiſit, ac ejecit Adamum, & Evam de Paradiſo, conſtituitque Cherubim Paradiſi cuſtodem, ut Adamum, ejuſque Poſteros ab ingreſſu Paradiſi arceret. At ſicut non eſt veroſimile, Deum creaſſe Adamum extra hunc Orbem, ut poſtea eum in hunc deportaret: ita credibile non eſt, quod eum ejecerit de tota terra, & Orbe toto. Nam in hoc Mundo Adam vixiſſe, mortuum, ac ſepultum fuiſſe certum eſt; nec eſt probabile, Deum poſuiſſe Cherubim ad cuſtodiam totius hujus terrarum Orbis, ne Adam ejuſque Poſteri in illum irrumperent: ergo &c.

XIV. Sed dices primo. Primis hominibus ante peccatum dixit Deus Gen. 1. ver. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; ergo tota terra erat Paradiſus: non enim eſt credibile, homines, ſi non peccaſſent, habitaturos extra Paradiſum.

Reſpondeo, negando conſ. Veriſimilius enim eſt, quod, etſi Adam in originali juſtitia ſtetiſſet, ipſe, ejuſque Poſteri intra ſolius Paradiſi anguſtias non ſe ſe continuiſſent, ſed terram quoque extra Paradiſum incoluiſſent, quæ tota illis Paradiſi inſtar amænitate, fertilitate, ac deliciis fuiſſet: & quam abſque labore, & ſudore coluiſſent. Solum enim poſt peccatum homini dictum fuit Gen. 3. ver. 18. & 19. *Maledicta terra in opere tuo.... ſpinas, & tribulos germinabit tibi..... In ſudore vultus tui veſceris pane.* Hoc autem mihi perſuadeo. Tum quia cum tunc homines fuiſſent juxta Dei benedictionem mirum in modum multiplicati, & quia a morte exempti, ut diutiſſime in hoc Mundo permanſiſſent, unius Paradiſi ambitus, quamvis ſpatioſiſſimus, omnium capax non fuiſſet. Tum quia in textu allato *Geneſ.* 1. *ver.* 28. tria Deus hominibus ſtatim conditis concedit, ſeu indicit. Primum, ut multiplicentur, & repleant terram, eamque ſubjiciant: *multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam.* Secundum, ut dominentur omnibus animantibus: *& dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Tertium, ut in eſcam aſſumerent fructus omnium arborum, omnemque herbam, quæ per univerſum Orbem germinabat: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram.* Quibus liquet, homines a Deo creatos, ut eſſent accolæ, non unius tantum Paradiſi, ſed etiam totius terrarum Orbis, etſi in innocentia ſtetiſſent. Nec tamen totum terrarum Orbem fuiſſe Paradiſum, quem Moyſes deſcribit, conſtat jam ob rationes allatas, quia Deus ibi loquitur de univerſa terra, ut a loco voluptatis diſtincta.

XV. Sed dices ſecundo. Cur creavit Deus hunc Paradiſum ſpecialem, ſi præſciebat hominem peccaturum, & ab eo ejiciendum?

Retorqueo inſtantiam. Cur creavit Deus Paradiſum totum terrarum Orbem, ſi præſciebat, hominem per peccatum ab eo expellendum, vel homini in deſertum commutandum? Dicamus ergo omnes cum D. Thoma hac *qu.* 102. *art.* 2. *ad* 2. convenientiſſime Paradiſi delicias, homini; quem præſcierat eſſe caſurum, præparaſſe, ſicut ei immortalitatem donavit, quam præſcierat eſſe amiſſurum: & ut ante peccatum haberet locum illi felici ſtatui convenientem: & ut poſt peccatum Adam, & Poſteri recordarentur boni, quod amiſerant, & majori odio proſequerentur peccatum, quod tantæ jacturæ cauſa fuit. Quidquid ſit an Henoch, & Elias illuc tranſlati, ibi adhuc morentur. *Non propter hoc* (inquit S. Thom. laudato loco) *locus eſt fruſtra, quia non eſt ibi hominum habitatio poſt peccatum: ſicut etiam non fruſtra fuit homini attributa immortalitas quædam quam conſervaturus non erat. Per hujuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiſerit. Quamvis (ut dicitur) nunc Henoch, & Elias in illo Paradiſo habitent.* Ita S. Thom. Sed hoc poſtremo infra agetur.

XVI. Dices tertio. Paradiſus creditur productus tertia Die, quando productæ ſunt arbores, & plantæ: ſed tunc nullius ſpecialis loci facta productio legitur; quod enim *Geneſ.* 2. *ver.* 8. dicitur: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio*, non eſt nova productio, ſed recapitulatio eorum, quæ tertio die producta fuerant, quod indicant illa verba *plantaverat*, & *a principio*; ergo Paradiſus erat univerſa terra ante peccatum.

XVII. Fateor, Paradiſum fuiſſe productum tertio die, quando terra arboribus, & plantis fuit ornata; hoc enim & S. Thom. hac *qu.* 102. *art.* 1. *ad* 5. fatetur. Sed hoc non tollit, quin Deus, una cum generali arborum, plantarumque per totam terram productione, hortum illum ſpecialibus plantis, & amænitate donatum produxerit, qui primis parentibus locus congruus eſſet. Et hac forte ratione Moyſes illum, quamvis cum aliis tertia die fabricatum, ſeparata narratione deſcripſit, ſicut res ſpeciales deſcribi ſolent.

XVIII. Præterire non poſſum, aliquos Criticos imponere D. Hieronymo, quod judaicis fabulis nimium indulgens, *lib. de tradit. Hebraicis* ſcripſerit: *quod priuſquam Cælum, & terram Deus faceret, Paradiſum ante condiderat.* Sed advertere debuiſſent, S. Hieronymus ibi agere de traditionibus Hebraicis, & ſcribere ea, quæ apud Judæos potius venditantur, quam quæ ipſe ſentiat. Ita S. Hieronymus vendicant Salianus *in Epitome Annal. Vet. Teſtam.* dicens: *Divus autem Hieronymus ex Hebræorum ſententia, quorum ibi traditiones ſcribebat, loquutus eſt.* Et Janſenius in cap. 2. Gen. ver. 8. *A principio* (inquit) *non ante terram conditam, ut Judæi ex lib.* 4. *Eſdræ cap.* 3. *ver.* 6. *fabulantur, & Hieronymus in traditionibus Hebraicis dicit eſſe certiſſimum, ſcilicet ex Judæorum ſenſu, ſed* a principio, *hoc eſt multo ante ſeptimum Diem.* Quibus patet; quod, eſto dicatur Paradiſus plantatus *a principio*, adhuc tamen ſalvatur, quod fuerit productus tertia die; quia quando productus fuit, nondum erant opera Dei conſummata, & perfecta, ut contigit die ſeptima. Dici etiam poteſt, ly *a principio* non deſignare principium temporis, ſed loci; quia *Eden* ubi erat Paradiſus, eſt in initio, ideſt in Oriente, quia inde incipit ortus Solis, & dies.

XIX. Dices quarto. Damaſcenus *lib.* 2. *de Fide cap.* 9. dicit, fluvium illum, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, & qui deinde dividebatur in quatuor capita; alium non eſſe, quam Oceanum: *Eſt autem* (inquit) *Oceanus velut amnes quidam terram univerſam cingens (de quo mihi Scriptura divina loquuta videtur, cum ait*: fluvius egrediebatur e Paradiſo) *dulcem ac potabilem aquam habens.... Hic inſuper in quatuor principia, ſeu in quatuor flumina dividitur &c.*

XX. At hoc, quod opinando potius, quam aſſerendo Damaſcenus dicit, cum oppoſita ſententia cohærere non poteſt. Quia fluvius ille egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum: ſed Oceanus non egreditur de hoc terrarum Orbe, cum potius, ut ait Damaſcenus, totam univerſam terram cingat; ergo &c. Deinde Fluvius ille dividebatur in quatuor tantum capita: Oceanus autem non ſolum in quatuor, immo & in omnia flumina effunditur, ac in varios gurgites, & marium tractus. Et Oceanus potius dicitur in phraſi Scripturæ *congregationes aquarum*, quæ ab eadem appellantur *Maria*, non *Fluvius*. (Geneſ. 1. ver. 10.)

Quidquid tamen ſit: Damaſcenus Paradiſum non extendit ad univerſam terram. Nam *lib.* 2. *de Fide cap.* 11. eum expreſſe collocat in Oriente, loco omni terra ſublimiori, omnibus dotibus ad pulchritudinem, & delicias inſtructo, & addit: *in quo nullum rationis expers animal verſabatur.* Certum autem eſt in univerſa hac terra fuiſſe etiam animalia rationis expertia, beſtias ſcilicet, quas Deus produxerat. Cenſuit ergo Damaſcenus, locum Paradiſi fuiſſe locum ſpecialem, non totum hunc terrarum Orbem, quem modo habitamus, qui poſt peccatum amænitatem deperdiderit.

Du-

DUBIUM II.

De regione, & ſitu Paradiſi Terreſtris.

§. I.

Opinionum varietas.

I. RESoluto, Paradiſum terreſtrem non fuiſſe totum hunc terrarum Orbem, inquirendum reſtat in qua Orbis parte ſit collocandus. De quo tot fuere olim, ac modo circumferuntur opiniones, ut, quantum facile eſt eas referre, tantum difficile ſit, cui adhærendum, determinare.

II. Primo tamen rejicienda eſt opinio, quæ aſſerebat, Paradiſum terreſtrem fuiſſe extra totum hunc terrarum Orbem. Ait enim, planam Orbis hujus, ſeu terræ ſuperficiem in tres circulos eſſe diſtinguendam, quorum minores majoribus clauderentur; ut omnium minimus ſit terra hæc, quam incolimus: medium Oceanus obtineat; maximum & extimum occupet Paradiſus: ſic, ut terra hæc undique cingatur Oceano, Oceanus vero Paradiſo. Hanc refert Moſes Bar-Cepha *lib. de Paradiſo cap. 9.* eam S. Ephrem tribuens (quamvis in hujus Patris editis Operibus non legatur) & Philoxeno Mabugæ Epiſcopo: addenſque, qui cenſent, Paradiſum ultra Oceanum poſitum, affirmare etiam, primos parentes a Paradiſo expulſos, ex illa Paradiſi affini terra ad hanc noſtram per Oceanum, cum eſſent ſtaturæ proceriſſimæ, pedibus tranſvadaſſe. Fabuloſa quidem imaginatio.

Hæc tamen opinio ſubſiſtere nequit. Quia contraria Scripturæ, qua conſtat, Adamum in hoc noſtro Orbe terrarum conditum, & a Paradiſo pulſum, in hoc quoque vixiſſe, ac ſepultum fuiſſe. Nec eſt credibile, ipſum fuiſſe in alterum Orbem deportatum, ut innocens ibi maneret, a quo per peccatum ejectus, in noſtrum Orbem denuo deportaretur, & multo minus, pedibus Oceano tranſvadato, reverteretur. Deinde notum eſt, illa duo flumina Tigrim, & Euphratem, quæ ex Paradiſi fonte manare Moyſes affirmat (*Geneſ. 2. ver.* 14.) hunc noſtrum Orbem alluere: non eſt autem credibile, illos fluvios toto Oceani tractu ſubtus mare ferri, & demum in noſtrum Orbem erumpere.

III. Alii propterea dixerunt, Paradiſum in edito loco poſitum, ad ipſum Lunæ circulum aſſurgere. Ita Rabanus, & Strabus. Sed hoc eſt incredibile: alias dici deberet, Tigrim, & Euphratem a Paradiſo manantes, e Cælo in hanc terram defluere. Deinde Paradiſus in aere pendulus quibus libramentis ſuſtentatur?

IV. Exiſtimarunt propterea alii, Paradiſum in altiſſimi montis mortalium oculis ſubducti vertice ſitum eſſe, nulla obſcuritate, aut caligine obumbrato, ſed perpetua omnium ſyderum illuſtratione fulgido, jucundiſſima temperie, & aeris ſalubritate amæno. Ita ſentire videtur S. Baſilius *hom. de Paradiſo*, cui accedit Damaſcenus *lib. 2. de Fide cap.* 11. ponens ipſum in loco omni terra excelſiore. Hanc opinionem cum præcedente conciliat S. Thom. hac *qu.* 102. *art.* 1. *ad* 1. dicens, quod Paradiſus dicitur uſque ad locum lunaris globi aſcendere, *non ſecundum ſitus eminentiam, ſed ſecundum ſimilitudinem, quia eſt ibi perpetua aeris temperies... Et in hoc aſſimilatur corporibus Cæleſtibus, quæ ſunt abſque contrarietate. Magis tamen fit mentio de lunari globo, quam de aliis ſphæris, quia lunaris globus eſt terminus Cæleſtium corporum verſus nos; & Luna eſt magis terræ affinis inter omnia corpora Cæleſtia: unde & quaſdam tenebras nebuloſas habet, quaſi accedens ad opacitatem. Quidam autem dicunt, quod Paradiſus pertingebat uſque ad lunarem globum, ideſt uſque ad medium aeris interſtitium, in quo generantur pluviæ, & venti... ſed ſecundum hoc locus ille non eſſet conveniens habitationi humanæ: cum quia ibi eſt maxima intemperies: tum quia non eſt temperatus complexioni humanæ, ſicut aer inferior magis terræ vicinus*, Hæc D. Thomas, qui præfatam opinionem tribuit Bedæ.

Miſſis ergo hiſce, & aliis placitis ab omnibus fere rejectis, volentibus Paradiſum terreſtrem in aliqua hujus terræ parte fuiſſe; quæremus primo in quanam ex quatuor terræ partibus fuerit: ſecundo in quanam ejus partis regione: tertio in quo ſitu, an in planitie, aut valle, aut colle &c.

§. II.

In qua Orbis parte fuerit Paradiſus Terreſtris.

V. DIco primo. Paradiſus terreſtris in parte Orientali collocatus fuit. Ita S. Thomas citata qu. 102. art. 1. dicens: *Eſt ergo Paradiſus, ut Iſidorus dicit lib.* 14. *Etymologiar. cap.* 3. *Locus* in Orientis partibus conſtitutus, cujus vocabulum e Græco in Latinum vertitur Hortus. *Convenienter autem in parte Orientali dicitur ſitus, quia credendum eſt, quod in nobiliſſimo loco totius terræ ſit conſtitutus. Cum autem Oriens ſit dextera Cæli, ut patet per Philoſophum in 2. de Cælo* (text. 15.) *dextera autem eſt nobilior, quam ſiniſtra, conveniens fuit, ut in Orientali parte Paradiſus terrenus inſtitueretur a Deo*. Ita quoque docuerunt S. Irenæus *lib. 5. cap.* 5. Theophilus Antiochenus *lib. 2. ad Autolycum* Lactantius *lib. 2. Divin. Inſtitut. cap.* 13. S. Joann. Chryſoſt. *homil.* 13. *in Geneſ.* S. Auguſt. *lib. 4. de Geneſ. contra Manichæos cap.* 9. S. Joann. Damaſcenus *lib. 2. de fide cap.* 11. ſuperius citato, aliique fere omnes.

VI. Fundamentum pro hac ſententia exhibet Scriptura *Gen. 2. ver.* 8. Ubi, quæ Latinus Interpres vertit: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio*: hæc Symmachus, Theodotio, & Aquila (teſte Sancto Hieronymo *qu. Hebraic. in Geneſ.*) & ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt: *Et plantavit Deus Paradiſum in Eden ad Orientem*. Cui conſonant Verſio Latina textus Samaritani, & Syriaca, & Arabica, ut in Bibliis Polyglottis videre eſt. Vox enim Hebraica *Eden* indifferens eſt ad principium temporis, vel loci, qui eſt Oriens, unde incipit ortus Solis.

VII. Ex hac creditur manaſſe mos apud antiquos Chriſtianos, adorandi ad Orientem, cum Judæis adorent verſi ad Auſtrum; quaſi quod Chriſtiani eo recipiant, unde exciderat Adam, ut ſuſpirent patriam, quam per illum amiſerant, & ad quam per Jeſum ſperant ſe reducendos: Judæi vero ad Auſtrum, ſeu meridiem, quia ex regione meridionali, Bethlehem ſcilicet, Meſſias illis prænunciatus fuerat naſciturus. Ita Auctor qu. ad Antiochum, quæ ſub nomine S. Athanaſii circumferuntur qu. 37. *Audiant* (inquit) *& diſcant fideles, ejus rei cauſa beatiſſimos Apoſtolos juſſiſſe, ut Eccleſiæ Chriſtianorum Orientem ſpectarent, ut ad Paradiſum, unde excidimus, antiquam patriam, & regionem noſtram reſpiciamus, oremuſque Deum, & Dominum, ut ad locum, unde exules ejecti ſumus, nos velit reſtituere. Prophetæ vero Judæos ad meridiem attendere præceperunt, quia Dominus ex meridie Jeruſalem, ſive ex Bethlehem naſci deberet: hinc ajebat Propheta*: (Habacuc 3. ver. 3.) Deus *a Theman* veniet *ideſt ab Auſtro*.

§. III.

In qua Orientis regione fuerit Paradiſus?

VIII. SAnctus Thomas hac *qu.* 102. *art.* 1. poſtquam in parte Orientali dixit probabiliter fuiſſe Paradiſum, ibi tamen *ad ſecundum* dicit ignotum eſſe hominibus, in qua Orientis parte fuerit poſitus, ſequens Auguſtin. *lib. 8. de Gen. ad litt. cap.* 7. dicentem; *Credendum eſt, quod locus Paradiſi a cognitione hominum eſt remotiſſimus*. Et quidem tanta eſt opinionum, ſeu verius, ſuſpicionum varietas, tam levia pro unaquaque opinandi, ſeu dixerim ſuſpicandi, motiva; ut incertus cui ſeſe adjungat, hæreat intellectus. Alii quippe eum ſtatuunt in Damaſco Syriæ; alii in Palæſtina circa Jordanem; alii ſub Æquinoctiali in monte altiſſimo; Svidas in Lybia; alii verſus Indos in Taprobana Inſula *Ceilan* dicta; alii in Malaca; alii in Sinis; alii in Cataja Tartariæ; alii in America; alii alibi, ut vidimus. Quare, ut verum dicam, mihi placeret, illud Auguſtini dictum lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 5. *Melius eſt dubitare de occultis, quam litigare de incertis*. Cum ex tanta confuſione nihil certius colligi poſſit, quam, ut ait Tertullianus *in Apologet. cap.* 47. Paradiſum eſſe locum divinæ amænitatis *a notitia Orbis communis ſegregatum*, & cum Theodoreto qu. 19. in Gen. *Deum ignotos feciſſe meatus fluminum Paradiſi, ut amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem*. Ne tamen candidatum meum in hac re prorſus jejunum dimittam, referam ex aliis duas, quæ noſtris temporibus evulgantur, opiniones, ſeu conjecturas.

IX. Prima in India Orientali Paradiſum fuiſſe opinantur. Ita ex multis Malvenda noſter, cui conjecturæ hæc motiva favere videntur. Primo. Quia India eſt Orientalis reſpectu totius Orbis. Secundo. Quia Phiſon unus ex quatuor Paradiſi fluminibus, qui non eſt alius quam Ganges (teſtibus Joſepho *lib. 1. Antiquit. Judaic.* Epiphanio *in Ancorato*. S. Hieronymo *epiſt. 4. modo 95. ad Ruſticum*. S. Auguſt. *lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap.* 7. & aliis) ex Caucaſo Indiæ monte oritur, teſte Strabone *lib. 15. Geographiæ*. Tertio. Phiſon (Ganges) *Circuit omnem terram Hevilath, ubi naſcitur aurum, & terræ illius optimum eſt* (Gen. 2. ver. 11. & 12.) Hevilath autem Indiæ regio eſt, ab Hevila filio Jectan, fratre Ophir, Nepote Heber cognominata; de quo *Geneſ. 10. ver. 19. &c.* In India quoque aurum optimum naſcitur. Ibi enim eſt regio Ophir ab altero filio Jectan nuncupata, ex qua tempore Salomonis deferebatur aurum, ut legitur 3. *Reg. cap. 9. ver.* 28. *& cap. 10. ver.* 11. Ophir autem eamdem eſſe, ac modo Zeilan contendunt multi: cum ei aſſerant convenire omnia, quæ de Ophir in libris Regum & Paralipomenon narrantur. Quarto. Si conferantur hæc verba Moyſis Geneſ. 2. ver. 12. *Et aurum terræ illius optimum eſt* cum aliis Job 28. ver. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*. Et ver. 17. *Non adæquabitur ei aurum &c.* Non parum videtur ponderis accedere his, qui in India Paradiſum collocant.

X. Quinto. Nec Veterum ſuffragio hæc opinio deſtituta eſt. Ei enim favet S. Hieronymus *lib. de Situ, & nom. Locorum Hebraicorum* dicens: *Evila, ubi aurum puriſſimum . . . & gemmæ pretioſiſſimæ, carbunculus, ſmaragduſque naſcuntur. Eſt autem regio ad Orientem vergens, quam circumit de Paradiſo Phiſon egrediens, quem Noſtri mutato nomine Gangem vocant*. Et inferius Litt. F. *Phiſon, quod interpretatur caterva, fluvius, quem Noſtri Gangem vocant, de Paradiſo exiens, & pergens ad Indiæ regiones poſt quas erumpit in pelagum*. Hoc idem aſſerit *Epiſtola 4. modo 95. ad Ruſticum Monachum*, ubi de Gange fluvio ait: *ad Gangem fluvium (quem Phiſon Sacra Scriptura commemorat) qui circumit totam terram Evila, & multa genera pigmentorum de Paradiſi dicitur fonte devehere*. Favet quoque Auctor quæſt. ad Antiochum S. Athanaſii nomine *qu.* 47. Alcimus, Vitus Viennenſis *lib de initio Mundi*, aliique.

XI. Alia opinio, quam plerique Recentiorum amplectuntur, licet aliqualiter in modo videantur diſſidere, eſt: nempe Paradiſum terreſtrem ſitum fuiſſe in confinibus Meſopotamiæ, Armeniæ, & Arabiæ Orientalis circa Babyloniam, ubi Tigris, & Euphrates duo illi Paradiſi fluvii, qui expreſſe in Scriptura nominantur, alveos conjungunt. Hæc enim duo flumina, ex Tauro Armeniæ monte originem ſuam habentia, apud Babyloniam ſe ſe conjungunt: deinde iterum disjuncta in mare Perſicum ſe ſe effundunt. *Taurus* (inquit Strabo lib. 2. Geograph.) *Armeniam diſterminat a Meſopotamia. Hinc fluunt Tigris, & Euphrates, qui Meſopotamiam circumdant, & apud Babylonios invicem cohærent, deinde in Mare Perſicum emittunt*. Eadem tradit Quint. Curtius *lib.* 5. & Philoſtratus *lib. 5. de Vita Apollonii*. Cum ergo & reliqua duo flumina non inde procul fluxiſſe dicendum ſit, ideo circa illas regiones Paradiſum collocatum fuiſſe credendum eſt.

XII. Secundo. Paradiſum ad Orientem poſitum Sacra Scriptura commemorat. Porro regiones Orientales uſu Sacræ Scripturæ nunquam ſunt, quæ ultra ſinum Perſicum poſitæ ſunt, ſed regiones circumjacentes, ut Perſis, Armenia, Arabia, Meſopotamia. Unde Arabes, Idumæos, Amalecitas, Madianitas, Ammonitas, Moabitas ad Orientem poſitos ait. Sic Job Idumæus dicitur *magnus inter omnes Orientales*: & Magi, qui ad Chriſtum adorandum ex Perſide, vel Arabia, vel Chaldæa venerunt, *ab Oriente* veniſſe dicuntur. Geneſ. 29. verſ. 1. Jacob in Meſpotamiam profectus, in *terram Orientalem* veniſſe dicitur. Et Numer. 23. v. 7. Balaam dicit ſe adductum fuiſſe *de montibus Orientis*; cum tamen de *Aram* urbe Meſopotamiæ Syriæ ſe eductum dicat.

XIII. Tertio. Quia Paradiſus dicitur plantatus in *Eden*: Quamvis enim Latinus interpres legat, *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis*; Hæbreus tamen legit, & Septuaginta vertunt *in Eden*. Hoc autem nomen etſi uſurpari queat pro *voluptate*, & deliciis; hic tamen ſignificare nomen loci plerique Græci & Latini aſſerunt. Porro *Eden* in Syriæ, aut & Meſopotamiæ finibus fuiſſe, & proinde regionem Orientalem non longe ab Haram, teſtantur Iſaias *c. 37. v.* 12. & Ezechiel *c. 28. v.* 23. qui conjungunt filios Eden cum filiis Haran. Haran autem, ſive Charam fuiſſe urbem celebratiſſimam Meſopotamiæ inter Chaboram, & Euphratem, ſentit inter alios Calmet in *Diction. Hiſtoric. litt.* H. qui pariter *litt.* E. concludit, *Eden* regionem eſſe in Armenia ſitam, ſuoque ambitu claudere Euphratem, Tigrim, Phaſim, & Araxem flumina. Accedit in confirmationem, quod Gen. 4. v. 16. narratur. *Egreſſuſque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden*. Nimirum Cain poſt Necem fratris ſe ab Adæ familia ſeparaſſe, & habitaſſe in regione, quæ regioni Eden Orientalis; vel hæc fuerit poſtea dicta Aſſyria, vel alia trans Tygrim, & Euphratem, quæ Meſopotamiæ, ſeu horto Eden eſſet Orientalis: cum Adam, Seth, aliique pii Syriam, & vicinas regiones cis Euphratem incolerent; ſicque hortum Eden medium inter utroſque fuiſſe, & bonos ab impiis diſterminaſſe.

XIV. Quarto hoc roborant. Quia credibile eſt, Paradiſum non longe diſſitum fuiſſe a loco, quem Proptoparentes ab eo ejecti ſibi elegerunt ad habitandum: neque probabile eſt, eos longa terrarum ſpatia peragraſſe; ſed potius, ubi primo terram humanæ habitationi commodam invenerunt, ibi ſubſtitiſſe, ac domicilium fixiſſe. Eo vel maxime, quod ubi Vulgatus Interpres *Geneſ. 3. v.* 24. habet: *Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim*, ſeptuaginta Interpretes reddunt: *Et ejecit Adam, & collocavit eum* contra vel (ut in Complutenſi) ante *Paradiſum voluptatis*. Ex quo SS. Patres notant, Adamum non procul a Paradiſo fuiſſe a Deo poſitum, ſed eum ſemper in proſpectu habuiſſe, ut jacturam ſuam ſemper præ oculis habentem, magis pœniteret delicti ſui. Quod S. Joann. Chryſoſtomus *Homil. 18. in Geneſ.* S. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſ.* 2. Theodoretus *Interrog. 40. in Geneſ.* Et S. Auguſt. *lib. 2. de Geneſ. contra Manich. cap.* 22. aliique aperte confirmant. Et ſane cur Deus ante Paradiſum Cherubim ad cuſtodiam ligni vitæ collocaſſet, ne ſcilicet Adamo pateret ad ipſum regreſſus, ſi non in vicinis regionibus ſubſtitiſſet?

Certum autem eſt, Adamum in terra Judæa, vel Chaldæa ſaltem vixiſſe, ac diem ultimum clauſiſſe. Ita S. Baſilius *Comment. in Iſaiam cap.* 5. (vel quiſquis alius, ut placet P. Garnier) *Fama* (inquit) *obtinuit, quæ per Traditionem non ſcriptam in Eccleſia ſervatur, nimirum Judæam primum habitatorem Adam habuiſſe, qui poſtquam a Paradiſo ejectus fuiſſet, in ea ſedem poſuit, bonorum eorum, quibus exutus fuerat, jacturam mitigaturus. Itaque excepit etiam prima mortuum & hominem ..... & quia in hoc loco depoſuere calvariam, Calvariæ locum appellarunt .... quam ob cauſam Dominus mortis humanæ primitias perſcrutatus, in memorato Calvariæ loco necem pertulit &c.* Idem ſentit S. Epiphanius *Hæreſ.* 46. S. Chryſoſtomus *Homil. 84. in Joann.* & S. Hieron. *Epiſt. 17. modo* ad Marcellam nomine Paulæ, & Euſtochii data. Hi tamen duo Patres non tamquam rem certam proponunt, immo eam Hieronymus explodit in *cap. 27. Matth.*

XV. Tandem hoc indicare videtur ubertas regionis Meſopotamiæ tantis Coſmographorum encomiis celebrata; ut omnes alias Orbis regiones fructuum ſuavitate, omniſque generis deliciis excellere videatur, ut refert Strabo. Curtius lib. 5. *Inter Tigrim* (inquit) *& Euphratem jacentia tam ubeři, & pingui ſolo ſunt, ut a paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex utroque amne manat, toto fere ſolo per venas aquarum reſudante*. Signum ergo videtur, in hac regione fuiſſe potiſſimum Paradiſum conſtitutum, cujus nempe ubertas in viciniorem plagam refluebat, & redundabat.

XVI. Omnia prædicta probabilia redduntur: quia cum Paradiſus ibi fuerit, ubi ſunt Euphrates, & Tigris, qui expreſſe nominantur a Moyſe; hi autem fluant in Meſopotamia, & Armenia: Euphrates enim eſt fluvius Babiloniæ, inter quem, & Tigrim regio intercepta Meſopotamia dicitur, ſeu *Medamni*, quia media inter duos amnes; inde colligunt in hac, vel circa hanc regionem Paradiſum fuiſſe.

XVII. Verum quia Paradiſi flumina non fuerunt ſoli Tigris, & Euphrates, ſed etiam *Phiſon*, & *Gehon*, ut *Gen. 2. verſ. 11. & 13.* quorum primum *Gangen*, alterum *Nilum* veteres Patres exiſtimarunt; ut legere eſt apud Epiphanium, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Theodoretum alioſque: videntes hæc duo flumina nedum cum Tigri, & Euphrate radicem, ſeu fontem communem non habere, ſed per regiones nimium diſſitas fluere; Ganges enim circuit terram *Nevilath*, ideſt Indiam; Nilus vero Æthiopiam, ſeu Abyſſiniam; ita ut inter Euphratem, & Gangem pluſquam 4300. milliarium ſpatium intercedat, quod dici poteſt de Nilo, nec probabile ſit, tanto, & tam vaſto ſpatio ſub terra ſe condere, & poſtea in locis tam diſſitis exoriri, ſeu verius erumpere; ideo ut ſuam opinionem tueantur.

XVIII. Excogitarunt, *Phiſon* non eſſe Gangem, nec *Gehon* Nilum, ſed duas Tigris, & Euphratis novas eruptiones in diverſos alveos, diverſa ſortitas nomina. Obſervant enim, quod Moyſes dicit; *Fons*, ſeu fluvius *egrediebatur de loco voluptatis*, ſeu Eden, *ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita*: non dixit in quatuor fluvios, ſed *in quatuor capita*, ideſt in quatuor ejuſdem fluvii eruptiones, inde quatuor fluvios conſtituentes. Dicunt ergo, quod Tigris & Euphrates, qui ante ſeparati diverſis alveis fluxerant, invicem confluunt, & uno alveo incedunt, & toto ſpatio, quo hæc duo flumina unitim confluunt, Paradiſum fuiſſe. Deinde dividi in quatuor capita, ſeu alveos, quorum duo antiqua nomina Tigris, & Euphratis retinuerint, unuſquiſque Armeniam, & Aſſyriam, alter in Syriam, & Meſopotamiam excurrat; & ambo tandem in Sinum Perſicum delabantur. Ex duobus vero aliis capitibus, primum vocatum fuit *Phiſon* dictus etiam *Phaſi*, ſeu *Phaſi ſigris*. Hic circuit terram *Hevilath*; ut dicit Moyſes, ſeu *Chavila*; non quæ in India collocatur, ſed, quæ inter Aſſyriam & Ægyptum ad Sinum Arabicum ſita eſt Iſmaelitis, & Amalecitis finitima; ut habetur *Geneſ. 25. v.* 18. & 1. *Reg. cap. 15. verſ.* 7. Secundum vero dictum fuit *Gehon*, quod circumit terram *Chus*, ſive terram Æthiopiæ, non majoris, ſeu Abyſſinorum, ſed minoris, Arabiæ finitimæ, a qua uxor Moyſis, quæ Madianitis erat, Æthiopiſſa nuncupatur *Num. 12. v.* 1.

XIX. Hæc ſatis, ſuperque pro Candidati mei notitia de loco, & fluviis Paradiſi terreſtris pro opinione, quam ut plauſibiliorem Recentiores amplectuntur; ut eſt videre aput Danielem Huetium lib. integro *de ſitu Paradiſi*, Natalem Alexandr. *Hiſtor. Eccleſ. Vet. Teſt. differt. 2. art. 1. propoſ.* 2. & alios. Poſt hæc tamen concludendum eſt cum D. Auguſt. *lib. 2. de peccato Orig. contra Pelagium, & Cæleſtium cap.* 23. Neutri ex opinionibus, quæ afferri poſſunt, cum firma adhæſione ſubſcribendum, uti faciendum eſt iis, quæ Catholicam fidem tangunt: *Longe aliter* (inquit) *ſe habent quæſtiones iſtæ, quas eſſe præter fidem arbitratur* (nempe quæſtiones de peccato Originali, de quibus contra Pelagium, & Cœleſtium agebat) *quam ſint illæ, in quibus ſalva fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur, quid verum ſit, & ſententia definitiva ſuſpenditur; aut aliter, quam eſt, humana, & infirma ſuſpicione conjicitur; veluti cum quæritur: qualis, vel ubi ſit Paradiſus, ubi conſtituit Deus hominem, quem formavit, ex pulvere; cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet. Vel cum quæritur: ubi ſint nunc Elias, vel Henoch, an ibi, vel alibi, quos tamen non dubitamus, in quibus ſunt nati corporibus, vivere &c.*

§. IV.

De ſitu Paradiſi Terreſtris.

XX. QUæſtio hæc, qua quærimus: an in planitie, vel in monte ſituatus fuerit Paradiſus terreſtris, ſolis conjecturis, ut præcedens, reſolvi poteſt, cum ex Scriptura ſolum colligere poſſimus, locum fuiſſe amænum, ac voluptatis regionem.

Dico ergo. Veroſimile eſt, Paradiſum terreſtrem, neque ita depreſſum ſitu fuiſſe, ut in aliqua planitie, aut valle conſtiterit; nec ita ſublimem, ut ad ſecundam aeris regionem evadat. Prior pars ſuadetur. Tum quia Patres in hoc conveniunt, Paradiſum eſſe tantæ ſublimitatis, ut nullas tenebras, nullaſque tempeſtatum procellas pati poſſit: unde eorum aliqui, ut vidimus, circa orbem Lunæ eum fuiſſe imaginati ſunt. Tum etiam, quia e Paradiſo quatuor flumina egrediebantur ad irrigandam univerſam terram, quod certe fieri non poſſet, niſi Paradiſus in loco eminenti eſſet conſtitutus. Tum tertio, quia Paradiſus debuit eſſe locus aeris ſaluberrimi, & a craſſioribus terræ vaporibus liber; unde in loco altiori, quam ſit communis hæc noſtra habitatio, conſtituendus videtur.

XXI. Secunda etiam pars videtur colligi. Nam locus adeo ſublimis, nec ſalubris, nec hominum habitationi commodus eſſet. Secunda enim aeris regio nivium, ac tempeſtatum officina eſt. Tertia nimis ſicca, & calida ob viciniam elementi ignis: deinde ibi nulla eſt aura refrigerans, quam tamen in Paradiſo fuiſſe dicit Moyſes *Geneſ. 3. v.* 8. nulla fontium, ac fluminum ſcaturigo, nullus herbarum viror, nullus florum nitor, nulla denique fructuum eſſe poteſt amænitas. Aer denique juxta ſupremam regionem ſolum eſt valde tenuis, ſiccus, & calidus, ac hominum reſpirationi, & cordis refrigerationi minime aptus; ſed adeo inſalubris ſtomacho, ut vix homo ibi vivere queat. Hujus ſecundi teſtem habemus inter alios P. a Coſta *lib. 3. Hiſt. Indicæ cap.* 9. de altiſſimo monte Peruviano dicto *Periacaca*, quem cum ipſe aſcendiſſet, adeo ſæva ſtomachi jactatione, capitiſque vertigi-

ne oppreſſus fuit, ut niſi cito inde deſcendiſſet, de ſe actum fore certo exiſtimaret. Primi vero teſtem habemus S. Auguſtinum qui *lib. 3. de Geneſ. ad litt. c. 2.* loquens de monte Olympo, quem vertice nubes excedere ferunt: *Perhibetur* (inquit) *in Olympi vertice aer eſſe tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque ſuſtentare aliter poſſit, neque ipſos, qui forte adſcenderint homines, craſſioris aeris ſpiritu alere, ſicut in iſto aere conſueverunt.*

XXII. Hoc idem fatetur S. Thom. hac *1. p. quæſt. 102. art. 1. ad 1.* ubi poſtquam dixit, quod ſi aliqui Patres dixerunt, quod Paradiſus uſque ad locum Lunaris globi aſcendit, debent exponi, *non ſecundum ſitus eminentiam, ſed ſecundum ſimilitudinem, quia eſt ibi perpetua aeris temperies; & in hoc aſſimilatur corporibus cæleſtibus, quæ ſunt abſque contrarietate:* poſt aliqua ſubdit; *Quidam autem dicunt, quod Paradiſus pertingebat uſque ad Lunarem globum, ideſt uſque ad medium aeris interſtitium, in quo generantur pluviæ, & venti, & hujuſmodi; quia dominium ſuper ejuſmodi evaporatione maxime attribuitur Lunæ. Sed ſecundum hoc locus ille non eſſet conveniens habitationi humanæ: tum quia ibi eſt maxima intemperies; tum quia non eſt temperatus complexioni humanæ, ſicut aer inferior magis terræ vicinus.* Idem docet in *3. ſentent. diſt. 17. quæſt. 3. art. 2. ad 2.*

XXIII. Sed dices. Mons Atlas aſcendit in viciniam Lunaris circuli, & ultra nubila caput condit; & tamen (Solino in Polyſtore referente c. 24.) eſto qua ad Oceanum extenditur, horreſcat rudibus, ac ſylvis, nec terra quidquam germinet; qua tamen ad Africam vergit, amænus, ac fertilis eſt, naſcentibus ſponte frugibus, arboribuſque odoriferis habentibus comas cupreſſibus ſimiles, quæ lanugine ſericis nihilo viliore veſtiuntur.

Idipſum idem Solinus *capit. 9.* refert de monte Atho Macedoniæ adeo ſublimi, ut altior ſit loco imbrium, ac ventorum: in cujus ſignum cineres ibi in Ara poſiti, eo quo relicti fuerunt cumulo reperiuntur, & litteræ in eis conſcriptæ immutatæ penitus fuerint poſt annum inventæ; ergo ſublimitas ad illam regionem non præjudicaret amænitati, & deliciis Paradiſi.

XXIV. Reſpondeo; montem Atlantem fabuloſiſſimum eſſe, ut notat Plinius; adeo ut, nec in qua parte Africæ fuerit inter Auctores ſatis conveniat, teſte eodem Plinio, ut notat Salmaſius *exercit. Plinian. in dictum Solini caput.* Sed quod mirabilius eſt, eodem Salmaſio teſte, in viciniam Lunaris circuli caput attollere dicitur & additur, verticem ejus ſemper nivalem eſſe: atqui ſi altior eſt ejus vertex, quam unde imbres, & nives cadunt, quomodo nivibus coopertus dici poteſt? hinc quæ fides adhibenda ſit narrationi allegatæ, apparet. Dici tamen poteſt, fæcunditatem, amænitatemque, qua gaudet ex ea parte, qua Africam reſpicit, non eſſe in vertice, aut in parte ſublimiori, ſed in partibus imis, ut idem Salmaſius obſervat. Quod vero dicitur de monte Atho, ſeu Olympo, nimirum, quod litteræ in cineribus conſcriptæ repertæ fuerint immutatæ, omittam. Sed quod ejus vertex habitationi humanæ congruus ſit, jam ſuperius negavi ex Auguſtino, & iterum nego. Niſi forte dicatur, quod illum per brevem moram aſcendunt, vel ſacrificandi, vel inſpiciendorum ſyderum cauſa, ferre ſecum ſoleant ſpongias plenas aqua, unde identidem ſugant humorem ad refrigerandum cor; aliter ob ſummam illius aeris tenuitatem, ſiccitatemque vivere non poſſent.

XXV. Dices ſecundo. Ea debuit eſſe ſitus Paradiſi ſublimitas, ut ad eum pertingere non potuerit univerſalis diluvii inundatio: ſed hæc aſcendit altius, quam communes quicumque montes; ergo ſitus Paradiſi ſublimior eſſe debuit.

Nego maj. cum enim *Geneſ. 7. verſ. 19.* dicatur, quod *Aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo Cælo*, cum nullus mons ſub univerſo Cælo excipiatur, non eſt cur nos excipere poſſemus Paradiſum a generali inundatione, etſi in altiſſimo monte poſitum. Quod ſi excipiendus eſſet Paradiſus, non eſſet cur ad tantam ſublimitatem fieret recurſus; cum Deus, ſicut non naturali, ſed extraordinario rerum curſu immiſit diluvium; ita ab ejus inundatione potuiſſet Paradiſum miraculoſe ſervare.

§. V.

De Paradiſi Terreſtris amplitudine.

XXVI. CUM ſuperius dictum ſit, Paradiſi extenſionem non ambire univerſam terram, modo quærimus, quantæ amplitudinis fuerit: in quo nihil, niſi divinando loqui poſſumus. Attamen

Dico. Veroſimile eſt, Paradiſum terreſtrem, nec multo arctum, nec multo ſpatioſum fuiſſe. Ita cum S. Aug. *lib. 8. de Geneſi ad litt. cap. 10.* dicente: *Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat.* Neque inſuper adeo ſpatioſus, quem operandi, & cuſtodiendi cura uni homini commiſſa fuerat. Quantæ autem magnitudinis fuerit, Deus ſcit. Aliqui exiſtimarunt, Paradiſum amplitudine æquare unam ex quatuor Mundi partibus. Sed hoc inveriſimile videtur: tanta enim Paradiſi vaſtitas non poſſet latere, maxime modo, cum totus Orbis circumnavigetur. Dixerunt alii, Paradiſum amplitudinem majorem non habuiſſe, quam tres, aut quatuor leucas in longitudine, in circuitu autem duodecim. Ita Toſtatus *in c. 13. Geneſ.* Alii quod quindecim, aut viginti leucas non excesserit. Si vera eſt opinio, quod Paradiſus occupaverit ſpatium illud, quod intercedit inter locum, in quo Tigris, & Euphrates alveos jungunt, uſque ad locum in quo dividuntur in quatuor capita; ut ſuperius recenſuimus, difficile non eſſet inde conjicere, quanta Paradiſi terreſtris fuerit amplitudo. Quamquam cum tanto temporum tractu, & maxime generali diluvii inundatione flumina mutaſſe, & confudiſſe alveos, par ſit credere.

§. VI.

An in Paradiſo fuiſſent animalia bruta?

XXVII. AN Paradiſus fuerit ita ſolis hominibus præparatus, ut ſi Adam, & Eva in ſtatu innocentiæ perſeveraſſent, bruta animantia in ipſo habitaſſent, nec ne; incertum pariter eſt. Certum quidem eſt, animantia omnia adducta fuiſſe ad Adam in Paradiſo conſtitutum, ut tamquam Dominus ſingula ſuis nominibus appellaret; ut legitur *Geneſ. 2. v. 19. & 20.* Certum eſt etiam (& quidem nimis certum) in Paradiſum ſerpentem irrepſiſſe, ut Evam, atque Adamum ſeduceret. Sed an hoc evenerit, quia locus ille animantibus brutis pateret, an ſpeciali diſpenſatione divina, hoc in dubio eſt.

XXVIII. Negat Damaſcenus *lib. 2. de Fide cap. 11.* ubi Paradiſum deſcribens: *Divina* (inquit) *plane regia dignumque eo, qui ad Dei imaginem conditus erat, domicilium: in quo nullum rationis expers animal verſabatur, ſed ſolus homo, opus manuum Dei.* Damaſceno ſubſcribens S. Thom. 1. p. q. 102. art. 2. ad 2. *Paradiſus* (inquit) *Terreſtris erat locus congruens homini, & quantum ad animam, & quantum ad corpus; in quantum ſcilicet in anima erat vis præſervandi corpus humanum a corruptione, quod non competebat aliis animalibus. Et ideo, ut Damaſcenus dicit in Paradiſo nullum irrationalium habitabat: licet ex quadam diſpenſatione animalia fuerint illuc divinitus adducta ad Adam, & ſerpens illuc acceſſerit per operationem Diaboli.* Et in 2. diſt. 17. q. 3. art. 2. ad 1. *Non enim* (inquit) *probabile eſt, illuc alia animalia pervenire potuiſſe ex ſe ipſis, niſi aut virtute divina ad tempus, ut quando adducta ſunt animalia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, ut legitur Geneſ. 2. (niſi forte hoc per interiorem revelationem factum exponatur) vel etiam operatione Dæmonis, ut patet de ſerpente.*

XXIX. Hanc opinionem alii Recentiores amplectuntur, quorum rationes ſunt. Primo. Quia locus ille proprius immortalitatis non congruebat animantibus morti, & corruptioni obnoxiis. Secundo. Si animalia bruta fuiſſent in Paradiſo; vel in eo fuiſſent creata: & hoc non: quia nec in eo creatus fuit Adam. Vel aliunde in eum deportata: & hoc minus; nam vel ibi ſemper manſiſſent; vel ejecto ab eo pariter fuiſſent extruſa. Non primum; cum enim tantum maſculum & feminam in unaquaque ſpecie Deus creaverit, conſequens eſſet, quod in terra noſtra omnium animalium a Deo conditorum propagatio non fieret. Non etiam ſecundum: quia in ejectione Adami de Paradiſo, ejectorum animalium nulla fit mentio.

XXX. Affirmant vero S. Baſilius (vel alius ſub ejus nomine, ut placet Patri Garnier) *Orat. 3. de hominis ſtructura*, quæ eſt *de Paradiſo*, ubi hæc habet: *Ibi & avicularum omnigenum genera ... cum volucribus erant, & terreſtrium animalium omnigena ſpectacula, ſicura omnia, & manſueta ... Nihil tum Serpens horroris faciebat ſed mitis ac manſuetus erat, non agreſti, ſævoque modo undoſe in terræ faciem repetans, ventremque trahens, ſed erectus, celſuſque in pedes incedens. Illic itaque Deus hominem poſuit, quem formaverat.* Idem ſentit S. Auguſt. *lib. 14. de Civit. Dei cap. 11.* ubi ait, quod ſuperbus ille Angelus, ut hominem ſeduceret, *colubrum in Paradiſo corporali, ubi cum duobus illis hominibus maſculo, & fœmina animalia etiam terreſtria cætera ſubdita, & innoxia verſabantur, animal ſcilicet lubricum .... operi ſuo congruum, per quem loqueretur, elegit.*

XXXI. Opinionem hanc ſuſtinent Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis cap. 15.* & Pererius *lib. 2. in Geneſim.* Eorum rationes ſunt. Primo. Quia homini in Paradiſo exiſtenti datum eſt imperium ſuper animalia; ergo oportebat, ea eſſe in Paradiſo, in quæ imperium exerceret. Secundo. Non potuiſſet, quin multum horreſceret Eva ad primum ſerpentis aſpectum, ſi nunquam illum, nec animal aliud vidiſſet. Tertio. Multum ornatus, ac pulchritudinis defuiſſet Paradiſo, ſi nulli in aquis piſces, nullæ in arboribus aves, præſertim diſcolores, & canoræ, nullæ in ſylvis beſtiæ, nulla in campis pecora conſpici poſſent: & homo variis caruiſſet voluptatibus, quas ex volucribus, & aliis animantibus percipere poterat.

XXXII. Conciliari forte poſſent hæ duæ opiniones dicendo, Paradiſum non fuiſſe quidem proprium habitationis animalium irrationalium; non tamen adeo fuiſſe ab eo prohibita, ut in illum, maxime Adami imperio advocata, poſſent ſe transferre; ſicut omnia divina juſſione ad Adam ſeſe præſentarunt, ut ſerpens opera Dæmonis, Deique permiſſu. Erat enim terreſtris Paradiſus ſicuti hominis innocentis, ita totius Orbis Domini propria ſedes. Sicut ergo Regia ſolius Regis propria habitatio eſt; ad eam tamen poſſunt omnes ſubditi accedere, maxime mandante Rege: ita & animantia Paradiſum intraſſent, & forte intrarunt etiam volenta, & ea vocante Adamo. Quare autem periculum non fuiſſet, ut ſi aliqua eorum de ligno vitæ guſtarent, immortalitatem conſequerentur, inferius dicemus. Hoc interim certum eſt, de hiſce rebus nihil certi ſtatui poſſe.

DU-

DUBIUM III.

De arboribus Paradiſi terreſtris,

§. I.

Variæ arborum ſpecies in Paradiſo.

I. PLuribus arborum, ac plantarum ſpeciebus ornatum fuiſſe Paradiſum, in eoque plantaſſe Deum *omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*, dicit Moyſes *Geneſ. 2. v. 9.* & ex conceſſione facta a Deo Adamo v. 16. *ex omni ligno Paradiſi comede*, certum eſt. Quia vero communes arbores, aliæ ſunt fructiferæ, aliæ infructuoſæ, dubitatur ab aliquibus, an præter arbores frugiferas (quas in Paradiſo fuiſſe, ſicut & pulchras viſu, ut cupreſſus, platani, ex dictis a Moyſe, certum eſt) fuerint etiam aliæ infrugiferæ, ut quercus, abjetes &c. Fuiſſe tamen colligitur ex dicto Ezechielis 31. *verſ. 8. Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei: abjetes non adæquaverunt ſummitatem ejus &c.* Abjetes autem nec pulchræ viſu, nec frugiferæ ſunt. Quamvis autem ejuſmodi arbores tunc nec uſui ignis, aut ædificiorum, aut aliis humanæ vitæ utilitatibus inſervirent; ad ornatum tamen, varietatem, & pulchritudinem illis conferebant, non minus ac cæteræ, quæ viſum, ac adoratum oblectabant. Neque obſtat, quod Deus dixerit Adæ: *ex omni ligno Paradiſi comede.* Nam hoc intelligendum eſt cum diſtributione accommoda, nempe de omni ligno ad comeſtionem idoneo. Quemadmodum cum D. Paulus 1. *ad Timoth. 4. v. 4.* Chriſtianum debere veſci omni creatura cum gratiarum actione, ſe ſe explicat *verſ. 3.* ſe loqui de illa, quam *Deus creavit ad percipiendum.*

III. Ultra tamen arbores communes, erant in Paradiſo duæ ſpeciales arbores, quarum una dicebatur *lignum vitæ*, & hæc erat in medio Paradiſi; altera *lignum ſcientiæ boni, & mali.* Utramque expreſſit Moyſes Geneſ. 2. v. 9. *Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali.*

Hinc tria arborum genera erant in Paradiſo. Unum, ut homo viveret: & hoc erat genus arborum ditum ad veſcendum, & ad oblectamentum. Aliud ut bene viveret: & hoc erat lignum ſcientiæ boni, & mali. Tertium; ut ſemper viveret: & hoc erat lignum vitæ. Ita Severianus Gabalitanus Orat. 5. *Tres arborum differentiæ erant in Paradiſo. Una quidem data erat homini, ut viveret. Altera, ut bene viveret. Tertia ut ſemper viveret.* Seu, ut ait Sanctus Bonaventura *in 2. diſt. 17.* quædam proderant corpori, quædam animæ, & corpori: *Quædam* (inquit) *proderant corpori ad ejus nutritionem, & ſuſtentationem, de quibus Moyſes in univerſum dixit:* produxit Deus ex humo omne lignum ad veſcendum ſuave. *Aliæ arbores proderant animæ hominis; hujuſmodi erat* arbor ſcientiæ boni, & mali, *cujus fructus interdictus eſt homini ad probandam ejus obedientiam: a quo fructu, ſi præceptis Dei obediens, abſtinuiſſet, procul dubio dulciſſimum immortalitatis fructum eſſet adeptus. Tertii generis fuit* Arbor vitæ: *ipſi homini, hoc eſt conjuncto ex anima & corpore profutura, quippe tribuens perpetuam homini vitam, & indiſſolubilem faciens corporis, & animæ conjunctionem.*

IV. Lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali fuiſſe in Paradiſo juxta poſita, credibile eſt. Sic enim Moſes Bar-Cepha *lib. de Paradiſo cap. 20.* inducit Deum Adamo loquentem: *Si ab illa arbore ſcientiæ boni, & mali te continueris, legique meæ obtemperaveris, en tibi arborem vitæ præparavi, qua veſcens, vives in perpetuum.* Et Severianus Gabalitanus Orat. 5. *Lignum* (inquit) *ſcientiæ fuit inſtar palæſtræ, & gymnaſii: poſtquam mandatum ſervaſſes, in ligno iſto, præmium acciperes.* Congruum autem fuit, ut, ſicut tranſgredienti indicebatur mors ad terrorem; ita in ligno vitæ ei demonſtraretur vita in præmium, ſi pareret. Et, ut quantum timore mortis a tranſgreſſione deterrebatur, tantum ad obedientiam illectu præmii ſtimularetur. His prænotatis, de hiſce duabus ſpecialibus arboribus vitæ, & ſcientiæ boni, & mali agemus.

§. II.

De Ligno vitæ.

V. COnſtans eſt, quod lignum vitæ homini tribuiſſet immortalitatem, ſi ex illo guſtaſſet. Quod controvertitur eſt, de modo, quo immortalitatem contuliſſet: an ex natura ſua, an vi divinitus accepta: & an ſemel ſumptum id præſtaſſet: an vero pluries ſumendum de eo eſſet: ac tandem quam immortalitatem tribuiſſet: an ſimpliciter talem, an ſolum aliquo modo.

VI. Dico primo. Arbor vitæ vitam in perpetuum propagabat modo infra explicando. Hæc eſt ſententia D. Auguſtini *lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap. 5.* ubi de fructu ligni vitæ hæc habet: *Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta. Profecto enim licet uſitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta ſpatio vindicavit* (alludit ad ſubcinericium panem, in cujus fortitudine ambulavit Elias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 3. Reg. 19. v. 8.) *An forte credere dubitabimus, per alicujus arboris cibum, cujuſdam altioris ſignificationis gratia homini Deum præſtitiſſe, ne corpus vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occaſum etiam laboretur; qui ipſi cibo humano præſtitit tam mirabilem ſtaturam, ut in fictilibus vaſculis farinam & oleum deficientes reficeret, nec deficeret?* (alludit ad hydriam farinæ, & lecythum olei, quæ, ex promiſſo Eliæ, viduæ illi Sareptanæ, quamvis illis continuo paſceretur cum tota familia, per multum temporis non defecerunt. 3. Reg. 17. v. 16.)

Diſcurſus ergo Auguſtini eſt talis. Si potuit Deus facere, ut unus panis uſitatus per quadraginta dies, & noctes abſque ullo alio cibo conſervaret in robore Eliam; ſi potuit facere, ut vas farinæ & olei, licet continuo abſumerentur in cibum, non tamen deficerent; potuit ergo & fructui ligni vitæ licet corporali ſic dare, ut hominem in robore ſervaret, nec infirmitate, vel ætate, vel morte abſumeretur.

Quia vero aliquis opponere poterat, non eſſe fingenda miracula in Paradiſo, quamvis ea facta legamus apud nos; ſic prævenit: *Jam hic de genere contentioſorum quiſquam exiſtat, & dicat, Deum in terris noſtris miracula talia facere debuiſſe, in Paradiſo autem non debuiſſe.* Cui reſpondet: *quaſi vero non vel de pulvere hominem, vel de latere viri mulierem, majus ibi miraculum fecit, quam quod hic mortuos ſuſcitavit.*

Hoc idem exprimit *lib. 13. de Civit. Dei c. 20.* ubi ait de hominibus in Paradiſo: *Alebantur ergo aliis, quæ ſumebant, ne animalia corpora moleſtiæ aliquid eſuriendo, ac ſitiendo ſentirent: de ligno autem vitæ propterea guſtabatur, ne mors eis undecumque ſubreperet: vel ſenectute confecta diſcurſis temporum ſpatiis interirent: tamquam cætera eſſent alimento, illud Sacramento.* Quare D. Bern. in 2. diſt. 17. *Sicut* (inquit) *Sacramenta noſtra non creant gratiam, ſed divina virtus ipſis aſſiſtens, in eorum legitima ſuſceptione gratiam infundit, ſic fructus arboris non dabat immortalitatem, ſed divina virtus, cum fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.* Et merito quidem. Nam ſi naturalis vis illa fuiſſet; ſequeretur, quod animalia bruta, ſi Paradiſum ingreſſa de fructu vitæ ediſſent, immortalitatem & ipſa fuiſſent conſecuta: quod utique improbabile eſt.

VII. Quomodo autem fructus Ligni vitæ a morte homines præſervaſſet, exponit D. Thom. 1. *p. q. 97. art. 4.* dicens: *Duo remedia ad conſervationem vitæ habebat homo in primo ſtatu contra duos defectus. Primus enim defectus eſt deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui eſt animæ inſtrumentum. Et contra hunc defectum ſubveniebatur homini per eſum aliorum lignorum Paradiſi, ſicut & nunc ſubvenitur nobis per cibos, quos ſumimus. Secundus autem defectus eſt, quia, ut Philoſophus dicit 1. de gener.* (text. 34. & 39.) *illud, quod generatur ex aliquo extraneo, adjunctum ei, quod prius erat, humido præexiſtenti, imminuit virtutem activam ſpeciei: ſicut aqua adjuncta vino, primo quidem convertitur in ſaporem vini, ſed ſecundum quod magis, & minus additur, diminuit vini fortitudinem, & tandem vinum fit aquoſum. Sic igitur videmus, quod in principio virtus activa ſpeciei eſt adeo fortis, quod poteſt convertere de alimento, non ſolum quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam quod ſufficit ad augmentum. Poſtmodum vero quod generatur, non ſufficit ad augmentum, ſed ſolum ad reſtaurationem deperditi. Tandem vero in ſtatu ſenectutis nec ad hoc ſufficit: unde ſequitur decrementum, & finaliter diſſolutio corporis. Et contra hunc defectum ſubveniebatur homini per lignum vitæ. Habebat enim virtutem fortificandi virtutem ſpeciei contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei, unde Auguſtinus dicit* 14. *de Civitate Dei cap. 26. quod* cibus aderat homini, ne eſuriret, potus ne ſitiret; & lignum vitæ ne ſenectus eum diſſolveret. *Et in lib. qq. Vet. & Nov. Teſtam. quæſt.* 19. (olim Auguſt. tributo) *dicit quod*, vitæ arbor medicinæ modo corruptionem hominum prohibebat. Hactenus D. Thom. quod repetit *quæſt. 6. de Malo art. 5. ad 9.*

VIII. Cenſet tamen S. Doctor, virtutem hanc præſervandi a corruptione fuiſſe non in cibo illo, ſeu fructu, ſed in hominis anima, quam Deus in ſumptione talis cibi illi conferebat; ut poſſet continere, & conſervare corpus, ne quidquam illud lædere, aut intra diſſolvere poſſet. Ita loco ex *1. p. q. 97. art. 4.* recitato; *& q. 6. de Malo art. 5. ad 9.* dicens: *Sic ergo lignum vitæ coadjuvabat ad immortalitatem; ſed principalis cauſa immortalitatis erat virtus a Deo animæ collata.* Quod docet etiam in *2. ſent. diſt. 19. quæſt. 1. art. 4. ad 5.* dicens: *Lignum vitæ non erat principalis cauſa immortalitatis, ſed coadjuvans ad continuationem vitæ modo prædeterminato: & ideo immortalitas non eſt judicanda naturalis propter vigorem ligni vitæ, ſed magis gratuita propter virtutem animæ ſupra naturam collatam, quæ principalis cauſa immortalitatis erat.*

IX. Dico ſecundo. Lignum vitæ ſemel ſumptum non dabat immortalitatem, niſi ad determinatum tempus; quo labente oportebat illud iterum ſumere. Ita D. Thomas *1. p. quæſt. 97. art. 4.* citato, cujus hæc eſt ratio. Virtus enim illa ligni erat finita: ſed virtus finita non poteſt dare corpori virtutem durandi tempore infinito; ergo &c. *Virtus* (inquit) *cujuſcumque corporis eſt finita. Unde non poterat virtus ligni vitæ ad hoc ſe extendere, ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito, ſed uſque ad determinatum tempus ..... quo finito, vel homo tranſlatus fuiſſet ad ſpiritualem vitam, vel indiguiſſet iterum ſumere de ligno vitæ.* Et *quæſt. 6. de Malo artic. ad 9.* allegata ait; *Non tamen ita, quod ſemel aſſumptum in alimentum virtutem daret in perpetuum durandi: corruptibile enim erat; unde perpetuitatis cauſa per ſe eſſe non poterat. Sed confortabat virtutem naturalem ad diutius durandum, ſecundum determinatum tempus; quo finito, iterum aſſumi poterat, ut diutius viveret, & ſic quouſque homo transferretur in ſtatu gloriæ, in quo jam alimento non indigeret.*

ret. Ex quibus patet, quod cibus ille agebat ſecundum virtutem ſuam naturalem, ideoque ſic reſtaurabat corpus, ut fieret etiam ſucceſſu temporis aliqua vel modica deperditio gens ulteriori reparatione; & virtus, quæ a Deo conferebatur animæ, ei conferebatur ad conſervandum corpus uſque ad determinatum tempus.

X. Dico tertio. Lignum vitæ dabat corpori immortalitatem ſimpliciter, ſed ſolum aliquo modo. Sequitur ex dictis. Unde Div. Thom. 1. par. loco citato. *Non tamen* (inquit) *ſimpliciter immortalitatem cauſabat: quia neque virtus, quæ inerat animæ ad conſervandum corpus, cauſabatur ex ligno vitæ: neque etiam poterat immortalitatis diſpoſitionem corpori præſtare, ut nunquam diſſolvi poſſet*. Sed erat purum coadjuvans: ut docet idem S. Doct. locis laudatis ex *qu. 6. de Malo art. 1. ad 9. & in 2. ſentent. diſt. 19. art. 4. ad 5.*

XI. Dices primo cum Bellarmino *lib. de Gratia primi hominis*, & aliis, *Geneſ. 3. ver. 22.* Deum ejeciſſe Adamum e Paradiſo, ne ſumens de ligno vitæ viveret in æternum: ait enim: *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*; ergo lignum vitæ conferebat immortalitatem ſimpliciter.

Dices ſecundo. Ita ſenſiſſe veteres Patres, Irenæum *lib. 3. adverſ. Hæreſ. cap. 37.* (modo 23.) dicentem, Deum ejeciſſe Adamum de Paradiſo miſericordia, *ut non perſeveraret ſemper tranſgreſſor, neque immortale eſſet, quod eſſet circa eum peccatum*. Nazianzenum quoque *Oratio 38.* dicentem de Adamo e Paradiſo, & ligno vitæ ejecto: *atque hic quoque tamen mortem ac peccati præciſionem elucratur, ne malum immortale eſſet. Ita pœna ipſa in miſericordiam ceſſit*. Idem ſentit Chryſoſto- *hom. 18. in Geneſ.* ergo lignum vitæ dediſſet immortalitatem ſimpliciter in ſententia prædictorum Patrum.

XII. Reſpondeo ad primum, verba illa Domini ejicientis Adam de Paradiſo, ne *forte ſumat de ligno vitæ, & vivat in æternum*, intelligenda eſſe ironice dicta ſicut & proxime præcedentia: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*. Amovetur autem inde ne, ibi manens, ſtulte ſibi promitteret ex ligno vitæ immortalitatem, ſicut ſtulte ex arbore ſcientiæ ſibi promiſerat ſcientiam quaſi Deo. Nec enim fructus ligni vitæ potuiſſet homini in peccatum lapſo afferre immortalitatem: cum ei deeſſet juſtitia originalis; ac per conſequens illa corporis diſpoſitio, & virtus in anima, quæ, ut diximus, præter virtutem illius ligni neceſſaria erat, ut homo præſervaretur a morte. Quia tamen potuiſſet homo ſtulte ſibi promittere, ac ſæpius manum ad illud lignum mittere, ad hoc avertendum, e Paradiſo ejectus eſt.

XIII. Dici etiam poteſt cum Div. Thom. 2. 2. qu. 164. art. 2. ad 1. *quod homo, ſi poſt peccatum de ligno vitæ comediſſet, non propter hoc immortalitatem recuperaſſet; ſed beneficio illius ſibi potuiſſet vitam magis prolongare. Unde quod dicitur*, & vivat in æternum, *ſumitur ibi* æternum *pro* diuturno. *Hoc autem non expediebat homini, ut in miſeria hujus vitæ diutius permaneret*. Hinc

XIV. Ad ſecundum dico: citatos Patres non intelligendos eſſe de immortalitate, æternitateque ſimpliciter, & proprie dicta, ſed improprie; pro vitæ longevæ diuturnitate, quam ſæpius de illo ligno comedendo potuiſſet acquirere. Ne ergo diutius vivendo, diutius etiam in peccato continuaret; dicunt præfati PP. ejectum e Paradiſo fuiſſe.

XV. Quæres: an primi Patres antequam peccarent uſi fuerint ligno vitæ.

Affirmative reſpondet S. Auguſtin. lib. 2. de peccat. merit. cap. 21. *Quid enim* (inquit) *abſurdius, quam ut credatur, ex aliis arboribus alimenta ſumſiſſe, non autem etiam ex illo, quod ſimiliter permiſſum fuerat, & utilitate præcipua per ætatum labem mutari, quamvis animalia corpora, atque in mortem veteraſcere non ſinebat; tribuens hoc corpori humano de ſuo corpore beneficium, & myſtica ſignificatione demonſtrans, quid per ſapientiam, cujus figuram geſtabat, conferretur animæ rationali, ut alimento ejus vivificata, nequaquam in labem, mortemque nequitiæ verteretur?*

§. III

De Ligno ſcientiæ boni, & mali.

ALtera ſpecialis arbor, quam Deus in Paradiſo plantavit, fuit lignum, ſeu arbor ſcientiæ boni, & mali; arbor toti generi humano nimis nota ex pravis effectibus; quos ejus fructus vetito eſu guſtatus, in Adamo ejuſque poſteritate reliquit.

XVI. Circa hanc arborem Judæi de more fabulati, ita dictam putaverunt; quod, cum Adam & Eva conditi fuiſſent ut infantes abſque ullo rationis uſu, ex eſu fructus illius arboris, hunc ſunt aſſecuti. Nec magis ſapuit Joſephus, qui *lib. 1. Antiq. cap. 2.* dixit, quod arbori illi *acuminis, & cogitandi vis inerat*. Cui fabuloſo errori *Ophitæ* addentes impietatem (hi enim, latine *Serpentini*) ſerpentem pro Chriſto colebant; quia ut ait Philaſtrius *de Hæreſ. cap. 1.* hic prior initium nobis ſcientiæ boni & mali attulerit. Unde & ei Dominum invidiſſe aſſerunt quia ſcientiam primus detulerit mulieri bonæ rei, atque malæ, perque illam ita ad genus humanum permanaverit. Quod refert quoque S. Epiphanius *Hæreſ. 37.* & S. Auguſtin. de *Hæreſ. cap. 17.* Inter hæreticos ſecundi ſæculi *Ophitæ* recenſentur.

XVII. At arborem illam non habuiſſe vim ſcientiam ingenerandi, conſtat primo. Nam alioquin Deus non prohibuiſſet homini illius eſum: impium enim eſt vel cogitare, Deum, qui hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit; qui ei dominium generale ſuper omnia creata dedit, ſcientiam boni & mali homini invidiſſe. Secundo. Quia ſerpens non fuiſſet mentitus, cum dixit; *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum*; cum tamen ſe a ſerpente deceptam Eva confeſſa ſit. Tertio. Non adeo dolere, & erubeſcere debuiſſent primi Parentes, ſi ex admiſſa culpa ingenio præſtantiores evaſiſſent. Quarto. Grande bonum ex culpa fuiſſent aſſecuti, quo antea carebant; quod, nedum cogitari impium eſt, ſed experientia conſtat eſſe falſum.

XVIII. Alii propterea dixerunt, fructum ſcientiæ boni, & mali, eſſe connubii uſum, quem Adamo, & Evæ Deus interdixit, donec ipſi placeret; ut refert Moſes Bar-Cepha *lib. de Paradiſo*. Idem ſentit Aben-Ezra; unde factum eſſe ait, ut opus conjugii *cognitio* in Scriptura vocetur, Geneſ. 4. ver. 1. *Adam vero cognovit uxorem ſuam Evam*. Et puer ſtatim ac notitiam boni, & mali adeptus eſt, iſtiuſmodi cupiditate tentari incipit. Sed hoc falſitatis evincit Scriptura ipſa, quæ *cap. 3. ver. 6.* fructum dictæ arboris deſcribens, ait: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis . . . . & tulit de fructu illius & comedit; deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum*. Tum etiam; quia ſi ſcientia boni & mali eſſet uſus conjugii, hæc Scientia cur in brutis non eſſet ponenda? quo quid ſtultius?

XIX. Dico ergo, arborem ſcientiæ boni & mali arborem fuiſſe ſicut cæteras, fructuique illius nullam adfuiſſe vim ſcientiam ingenerandi; ſed dictam fuiſſe arborem ſcientiæ boni, & mali ab eventu. Prior pars nedum ſtatuitur contra præfatos Judæos, & Hæreticos, ſed etiam contra aliquos Veteres; qui, etſi a fabulis, & impietate depuratam, ſententiam tenuerunt, arbori illi inſitam a Deo fuiſſe naturalem vim, quæ eam guſtanti notitiam boni, & mali tribueret. Ita Nemeſius *lib. de Natura hominis cap. 1.* & S. Joann. Damaſcenus *lib. 2. de Fide cap. 11.* ubi ait: *iis qui ex illa edebant, hanc vim afferebant, ut naturam ſuam perfectam haberent*. Sed oppoſitum, præter ſuperius dicta, probatur. Nam vis ad ſpiritualem effectum producendum, qualis eſt boni, & mali ſcientia, naturali rei corporeæ ineſſe non poteſt.

XX. Secunda ergo pars, nempe arborem illam dictam fuiſſe ſcientiæ boni, & mali ex eventu; quia futurum erat, ut qui ex ea contra vetitum guſtaret, dignoſceret tandem practice, quid intereſſet inter bonum obedientiæ, & malum culpæ, ſeu inobedientiæ, communis modo eſt. Eam docuerunt S. Joann. Chryſoſt. *Serm. 7. in Geneſim*. Non quia Adam ante neſciret: *Non antea ſciebat Adamus, obedientiam bonum eſſe, inobedientiam autem malum; manifeſtius autem poſtea ex ipſa rerum experientia didicit*: Deinde poſito exemplo in Cain, ſubdit: *Mala ſcimus omnes, etiam antequam illa perpetremus manifeſtius vero ea diſcimus, poſtquam illa perpetravimus, ac multo etiam manifeſtius, cum punimur. Sic etiam Cain ſciebat quidem antea, cædem fraternam malum eſſe: poſtea vero didicit evidentius, cum ſupplicio mulctatus eſt. Nos enim quoque ſanitatem rem bonam eſſe novimus, & ægritudinem rem moleſtam, antequam illud experiamur: multo vero certius cum in morbum inciderimus, utriuſque rei diſcrimen agnoſcimus*. Idem aſſerit Theodoretus *Interrogat. 26. in Geneſ.* afferens varia exempla rerum, quæ ab eventu ſecuturo nomen ſortita ſunt; ut in puteis, quibus Patriarchæ nomine dederunt, *Viſionis, Latitudinis, Juramenti*, In Bethel dicta *Domus Dei*; in Colle, qui dictus eſt *Teſtis*. Item Severianus Gabalitanus *Orat. 6. de Mundi creatione*, exemplum ponit in qua dicta *contradictionis: non quod naturam ejuſcemodi haberet, ſed ejus rei cauſa, quæ in illa accidit. Quia enim populus ibi contradixit, idcirco* Aqua contradictionis *vocata eſt. Alius locus* Pax Dei *appellatus eſt &c.*

XXI. In hoc conſentit S. Auguſt. *lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap. 6.* dicens: *Arbor itaque illa non erat mala; ſed appellata eſt ſcientia dignoſcendi bonum, & malum; quia ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura tranſgreſſio; in qua homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum.*

XXII. Sed dices. Lignum vitæ non dicitur tale ex eventu ſolum, ſed quia ei inerat vis coadiuvans immortalitatem corporis modo dicto; ergo lignum ſcientiæ boni, & mali dicitur tale, non ex eventu ſolum, ſed quia ei inerat vis aperiens mentem ad cognitionem boni, & mali. Unde ſtatim ac Adam, & Eva comederunt, dicitur Geneſ. 3. ver. 7. *& aperti ſunt oculi amborum.*

XXIII. Reſpondeo, neg. conſeq. Diſcrimen quippe eſt, quod corporis immortalitas, utpote effectus corporalis, poterat coadjuvari virtute naturali cibi corporalis. At cognitio boni, & mali, cum ſit effectus ſpiritualis, in virtute naturali cibi corporalis contineri non poteſt, nec ab ea produci. Nec apertio illa oculorum fuit effectus cibi, ſed interioris conſcientiæ exprobrantis illis tranſgreſſionem. Unde Div. Auguſt. lib. 14. de Civit. cap. 17. *Aperti ſunt* (inquit) *oculi amborum, non ad videndum, nam antea videbant; ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, quo ceciderant. Unde & ipſum lignum, eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni, & mali. Experta enim morbi moleſtia, evidentior fit etiam jucunditas ſanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant; nudati ſcilicet ea gratia, qua fiebat, ut nuditas corporis, nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet &c.*

XXIV. Quæri ſolet, in qua ſpecie arboris fuerit arbor ſcientiæ boni, & mali.

Reſpondeo, in hoc nihil, niſi divinando, dici poſſe. Quidam frumentum, quidam vitem exiſtimarunt; ſed nullo fulti, aut levi, ad ſummum fundamento: arbitrantur enim idcirco Chriſtum ſuum Corpus in pane dediſſe, ut qua re contractum eſſet debitum, eadem exſolveretur; & ſanguinem ſuum in vino dediſſe, ut primorum Parentum noxam expiaret. Sed bene dicit Moſes Bar-Cepha: *Nos vero hæc eſſe non putamus: frumentum enim ſeges, non arbor dicitur, ut neque vitis.*

XXV. Ficulneam ergo fuiſſe alii opinati fuerunt; ex eo moti, quod ſtatim ac peccarunt, cognoſcentes ſe eſſe nudos, *conſuerunt ſibi folia ficus* (Gen. 3. ver. 7.) utique, inquiunt, ab arbore proxima: at nulla erat vicinior illa, ex qua mox fructum decerpſerant; videtur ergo illa fuiſſe ficus. Ita ſentiunt Theodoretus *Interrogat. 28. in Geneſim*, Iſidorus Pelusiota *lib. 1. Epiſt. 2.* Moſes Bar-Cepha, aliique. Sed non magni ponderis hæc ratio videtur. Potuit enim illi arbori, ex qua Eva fructum carpſerat, vicina fuiſſe ficus: nec videtur Adamo fructum porrexiſſe ſub ipſa arbore. Accedit, quod ficulneæ non conveniunt illa verba: *lignum pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*. Tandem cum vix guſtato pomo, apertis oculis ad cognitionem delicti, erga arborem illam ſummum horrorem concepiſſent; credibile potius eſt, ab ea longius receſſiſſe, quam quod ad eam manus ad carpenda folia iterum extenderint; & vel maxime, cum ſeſe abſcondere a Deo tentarent, non eſt putandum ſe cooperuiſſe foliis illius arboris, quibus proderetur delictum.

XXVI. Alii itaque cenſent, fuiſſe *Malum* formæ, & fructus præſtantiſſimi, nempe vel *prium*, vel *malum punicum*. Et argumentum ſumunt ex illo *Cant. 8. ver. 5.* ubi dicitur: *ſub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*. Ubi matris nomine Evam intelligi volunt omnium viventium matrem, ſub arbore *malo* violatam, & corruptam inobedientiæ peccato. Hæc opinio apud vulgus famam obtinuit; quamquam nec certum eſt, matris nomine ibi Evam intelligi, ſicut nec ibi agi de prima corruptione; & vox illa *Malum* non pomum ſolum, ſed quemlibet fructum odoriferum, & levioris, ac mollioris corticis ſignificare ſolet in Scriptura. Hoc certum igitur eſt, Moyſen arboris genus non expreſſiſſe, ne illud curioſius ſcrutemur.

XXVII. Præterire tamen non poſſum Judæorum fabulam, quam narrat Pineda *lib. 5. de Salomone cap. 14.* nimirum, ex hac arbore vetita Seth juſſu Angeli recepiſſe ſemen, illudque indidiſſe ori Adami ſepulti: ex quo ſuccreverit arbor, ex qua Crux Chriſti confecta eſt; ut in eodem ligno, in quo peccaverat Adam, Chriſtus Adæ peccatum deleret.

D U B I U M IV.

Utrum Paradiſus Terreſtris etiamnum ſuperſit.

§. I.

Pars negans.

I. COntroverſia de Paradiſi exiſtentia etiam nunc non minus incerta eſt, ac ſint aliæ de Paradiſo, quas hucuſque agitavimus: & meo judicio ab illa quæſtione maxime pendet, in qua quæſivimus, quo in loco fuerit Paradiſus. In eorum enim opinione, qui extra Orbem hunc habitabilem, ſcilicet vel circa Lunarem orbem, vel in media aeris regione, vel trans Oceanum, ut ſupra tetigimus, illum collocarunt, facile concipi poſſet, etiam nunc ſupereſſe: ſed ſi in regione aliqua habitabili collocatus fuerit, ægre crediderim poſſe ſuſtineri, eum in ſua amænitate, qua fuit, adhuc conſtare; ac proinde ſupereſſe quidem locum, in quo Paradiſus fuit, Paradiſum tamen non ſupereſſe. Quapropter ſicut de regione Paradiſi nihil auſus ſum determinare; ita nec de ejus ſuperexiſtentia, ſed utramque opinionem cum ſuis fundamentis Candidato meo proponere contentus ero.

II. Negativam ergo partem plerique Recentiorum amplectuntur, ſequentibus moti conjecturis. Prima. Paradiſus terreſtris erat locus deſtinatus habitationi hominum in ſtatu innocentiæ perſeverantium; ergo per peccatum ſublatis incolis, veriſimile eſt, locum pariter, & incolatum fuiſſe ſublatum.

Secunda. Cum a nullo per tot ſæcula hominum potuerit inveniri, nec etiam leve ejus veſtigium reperiri, quamvis totus terrarum Orbis ſit habitatus, & itineribus perluſtratus; veriſimile eſt, eum amplius non ſupereſſe. Quod enim legitur de Machario quodam Monacho, & tribus aliis, qui ſtudio inveſtigandi Paradiſum longiſſimam peregrinationem emenſi, cum tandem ad locum Paradiſi perveniſſent, detenti, ac horribili Cherubim viſione deterriti fuerint. Quod etiam a Joanne Gonzalo in *Itinerario novi Orbis cap. 18.* narratur de quodam Bengale Rege, qui eodem ſtudio flagrans, ſperanſque, ſe id conſequuturum, ſi Gangis ſuæ regionis fluvii originem ſcrutaretur; inſtructis navigiis, ac plurium menſium commeatu adverſo flumine navigari præcepit: cumque tandem ventum eſſet ad campos, ubi Ganges blande ſtagnabat ſegnius fluens, & ubi aura ſpirabat ſerenior, & florum, & aromatum mirabilis odor incredibili voluptate animos omnium replebat, rati, fontem haud procul abeſſe, ac propterea remis, veliſque ulterius procedere conati; nihil tamen ulterius, occulta quadam vi detenti, promovere potuerunt: unde parum inde diſtare, & Gangis fontem, & Paradiſum putaverunt. Hæc & ſimilia ad aniles fabulas amandanda exiſtimant.

Tertia. Quia regiones, quas alluunt præfata Paradiſi flumina jam notiſſimæ ſunt, & habitatoribus plenæ; quidni ergo incolarum aliquis tanto ſæculorum tractu potuiſſet dictorum fluminum fontes perquirere, & ad Paradiſum a quo effluunt, pervenire, ſi ſupereſſet?

Quarta. Si propter aliquid credi deberet, ſuperſtitem eſſe Paradiſum terreſtrem, hoc eſſet quia Eccleſiaſtici 44. *ver. 16.* dicitur: *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum*. Et 4. Reg. 2. ver. 21. Elias per turbinem elevatus fuit: at hæc non evincunt dari Paradiſum terreſtrem, in quo fuit Adam. Tu quia de Henoch vox illa *Paradiſus* in græco deſideratur: tum quia *Paradiſus* in ſacris Litteris non ſemper ſumitur pro Paradiſo Adamico, ſed pro quocumque delicioſo loco, ut Cant. 4. ver. 13. *emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. De Elia vero Scriptura nullibi dicit, eum raptum fuiſſe in Paradiſum, ſed *in Cælum*. Ita 4. Reg. *cap. 2. ver. 1. & 11.*

Accedit, quod Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 33. *Nuſquam* (inquit) *Scriptura dat intelligi, quod Henoch, & Eliam Deus tulerit in ipſum Paradiſum, ubi comederent de ligno vitæ, & viverent in æternum: ſed ita ſublati ſunt, ut in ſecretam quamdam regionem terræ ducerentur, ubi in magna carnis & ſpiritus quiete viverent, quouſque ad finem Mundi redeant, & mortis debitum ſolvant*. Idem de Elia iiſdem verbis dicit S. Gregorius homil. 29. in Evangelia: *In Cælum* (inquit) *aereum Elias ſublevatus eſt, ut in ſecretam quamdam terræ regionem repente duceretur; ubi in magna jam carnis & ſpiritus quiete viveret, quo uſque ad finem mundi redeat, & mortis debitum ſolvat. Ille etenim mortem diſtulit, non evaſit.*

Quinta, & potiſſima conjectura eſt. Quod cum aquæ diluvii anno integro continua inundatione euntes, ac redeuntes, omnes arbores, domos, urbes, quin & colles ſtraverint, & totam fere terræ ſuperficiem dimoverint, credibile ſit, quod Paradiſi formam, & decorem ſubverterint; alias ſequeretur, quod diluvium univerſale non fuerit. Hac ratione quamvis concederent, Henoch fuiſſe tranſlatum in Paradiſum Adami, quia hoc contigit *669.* annis ante diluvium; quo tempore Paradiſus ille forte erat ſuperſtes; attamen eum adhuc ſupereſſe, & in eo Henoch vitam agere modo non concedunt. Hæc ſunt præcipua pro ſententia negante fundamenta.

§. II.

Pars affirmans.

III. PArtem affirmantem tenet primo S. Irenæus *lib. 5. contra Hæreſ. cap. 5.* ubi docet, Henoch, & Eliam tranſlatos fuiſſe in Paradiſum, de quo Adam inobediens ejectus fuit; addens, ſe hoc a Diſcipulis Apoſtolorum accepiſſe; *Quapropter dicunt Presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum Diſcipuli, eos, qui tranſlati ſunt, illuc tranſlatos eſſe.*

IV. Scio, adverſæ ſententiæ Patronos, non multi facere hac in re Irenæi teſtimonium. Nam multa etiam prodidit tamquam ex Apoſtolorum Diſcipulis accepta, opinionem de Regno Millenario Chriſti in terris ſicut de ætate Chriſti prope quinquagenaria, cum pro nobis paſſus eſt; quorum tamen primum, ſicut & receptaculum animarum Sanctarum poſt mortem, Eccleſia damnavit, & ſecundum exploditur ab omnibus.

V. Sed reſponderi poteſt, non propterea quod aliquis Pater, vel Doctor in uno deceptus eſt, vel in altero; in omnibus deceptus fuiſſe putandus eſt. Opinionem de Millenario Chriſti Regno, de receptaculis animarum poſt mortem, quia erroneam Eccleſia poſtea judicavit, confixit: opinionem de ætate quinquagenaria Chriſti, quia ſingularem, omnes rejiciunt. At quod Paradiſus ſit adhuc, quod in illum tranſlati fuerint Henoch, & Elias, Eccleſia nunquam damnavit, Patres non reſpuerunt; immo uſque ad hæc noſtra tempora fere omnes, ut oſtendetur, probarunt.

VI. Secundo idem teſtatur Theophilus Antiochenus *lib. 2. ad Autolycum nu. 33.* dicens: *Paradiſum eſſe* (non fuiſſe) *terram, & ſuper terra excultam... Paradiſum eſſe ſub hoc Cælo, ſub quo Oriens, & terra conſpiciuntur*, & demonſtrat ex quatuor fluminibus ab eo adhuc egredientibus.

VII. Tertio. In Paradiſum, in quo fuit Adam, tranſlatum fuiſſe Henoch, ad eum raptum Paulum, ac promiſſum Latroni aſſerit S. Athanaſ. *de decret. Nicænæ Synodi nu. 6.* Eſto autem non probemus, Paradiſum, ad quem raptus fuit Paulus, & qui Latroni promiſſus fuit, fuiſſe Paradiſum terreſtrem Adami; conſtat tamen Athanaſii tempore conſtitiſſe, Paradiſum Adami ſuperſtitem eſſe. Idem de Henoch, & Elia ſentit S. Hieron. *Epiſt. 61.* modo 38. *ad Pammach.* adverſus errores Joann. Jeroſolymitani.

VIII. Quarto. S. Auguſt. *lib. 1. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 3.* de Henoch, & Elia, poſtquam ait, ſine cibis vivere, ſubdit: *aut ſi, & his ſuſtentaculi opus eſt, ita in Paradiſo fortaſſe paſcuntur, ſicut & Adam, priuſquam propter peccatum exire meruiſſet*. Ubi ly *fortaſſe* non cadit ſupra exiſtentiam Paradiſi, ſed ſupra eſum ligni vitæ. Libro etiam *de peccato Orig. cap. 23.* licet inter quæſtiones, quas in utramque partem, ſalva fide, reſolvere poſſumus, ponat *qualis, vel ubi ſit Paradiſus; ubi ſit nunc Elias, vel Henoch; an ibi vel alibi*: præmittit tamen: *cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet*. Non dicit *fuiſſe*, ſed *eſſe* non dubitet: videtur ergo ſentire, quod fides Chriſtiana dubitare non debeat, Paradiſum terreſtrem eſſe. Et *lib. 8. de Geneſ. ad litter. cap. 7.* ait de fluminibus e Paradiſo egredientibus, quorum fontes nobis ſunt noti; non proinde exiſtimandum eſſe, quod ex uno Paradiſi flumine dividantur: *cum potius credendum ſit, quoniam locus ipſe Paradiſi a cognitione hominum eſt remotiſſimus, in-*

de quatuor aquarum partes dividi, ſicut fideliſſima Scriptura teſtatur; ſed flumina, quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iiſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum, locis aliis erupiſſe, ubi tamquam in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur. Nam hoc ſolere nonnullas aquas facere, quis ignorat? En ergo Auguſtinus potius quam neget, Paradiſum ſupereſſe, negat, fontes fluminum, qui nobis apparent, eſſe veros eorum fluminum fontes, ſed longiſſimo regionum tractu a vero Paradiſi fonte iiſſe ſub terras; ac tandem locis nobis notis, ac ſi inde primo manarent, erupiſſe.

IX. Quinto. Hoc idem fideliſſimus S. Auguſtini diſcipulus teſtatur, S. Thomam dico, tum hac *1. par. qu. 102. art. 1.* ubi ad præcipuum partis negativæ argumentum, nempe quod *aliqui diligentiſſime inquiſierunt omnia loca terræ habitabilis, qui tamen nullam mentionem faciunt de loco Paradiſi*, reſpondet: *ad tertiam dicendum, quod locus ille ſecluſus eſt a noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel Marium, vel alicujus æſtuoſæ regionis, quæ pertranſiri non poteſt. Et ideo Scriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerunt.* Et ibi *art. 2. ad 3.* oſtendit, Paradiſum non eſſe fruſtra, quamvis ibi non ſit hominum habitatio poſt peccatum. *Per hujuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiſerit. Quamvis (ut dicitur) nunc Henoch, & Elias in illo Paradiſo habitent.* Tum etiam *3. par. qu. 49. art. 5. ad 2.* ubi ait: *Henoch raptus eſt ad Paradiſum terreſtrem, ubi cum Elia ſimul creditur vivere uſque ad adventum Antichriſti.*

X. Idem ſentiunt Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis cap. 14.* ubi hæc habet: *Nullum umquam ex Veteribus legi, qui Paradiſum terreſtrem vel aquis diluvii, vel alia de cauſa periſſe ſcripſerit: & contra legi plurimos, qui illum extare affirment, ut Scolaſticos fere omnes.... ac præterea veteres Patres, Irenæum, Hieronymum, Auguſtinum, Theodoretum, Bedam, Alcimum Avitum, & cæteros....* unde *non facile auderem a tam communi, celebrique opinione recedere.* Idem ſentit Sylvius in *1. par. qu. 102. art. 1. qu. 2.* citans Abulenſem, Cajetanum, Bannez, Zumel, Bonaventuram, Granados &c.

XI. Videat ergo prudens Lector, quid in hac parte ſibi ſtatuendum cenſeat, quod præcipue pendebit a loco, ubi fuerit Paradiſus, determinando. Si enim cum Recentioribus eum ſtatuerit in regione, quæ modo humanæ ſerviat habitationi, ut in Meſopotamia, vel alibi; ægre tueri poterit, Paradiſum etiamnum ſupereſſe. Si vero eum locaverit in regione remotiſſima, hominibus ignota, & impervia, ut facit cum Veteribus S. Th. facile eum ſupereſſe tuebitur.

XII. Quod enim aquis diluvii obrutus dicatur, ac diſſipatus, non videtur eſſe tanti momenti, ut propter hoc negetur, eum adhuc ſupereſſe. Cum enim, ut bene notat Sylvius, neceſſe ſit, aliquem locum amænum agnoſcere ab hominum cognitione remotum, in quo poſt diluvium, & nunc degant Henoch, & Elias; quid vetat, eum eſſe Paradiſum terreſtrem: maxime accedente auctoritate Scripturæ Eccleſiaſtici 44. dicentis, Henoch tranſlatum eſſe in Paradiſum? Cumque inſuper ſit agnoſcendum miraculum, quo Henoch tempore diluvii fuerit ab aquis præſervatus; ſic ut eſto cum Noe in arca non fuerit, fuerit tamen, vel ſublimis in aere, vel ſi in terra, ab aquis intactus, vel alio modo ſoli Deo cognito: quid repugnat, eum in Paradiſo fuiſſe, & Paradiſum obrutum aqua non fuiſſe?

XIII. Dices. Repugnare Scripturam, quæ Geneſ. 7. dicit, aquas diluvii operuiſſe omnem terram, & omnes montes excelſos ſub univerſo Cælo.

Sed hoc non videtur obſtare. Sermo enim ibi eſt de univerſa terra ab hominibus peccatoribus habitabili, eorumque uſui ſerviente, propter quos immiſſum eſt diluvium. Nam ibi etiam dicitur *ver. 21. 22. & 23.* quod *univerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt.... remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in Arca.* Et tamen neceſſe eſt excipere Henoch, qui non fuit cum Noe in Arca, quem quidem diluvio non periiſſe omnes credunt. Si ergo reſtringendus eſt Scripturæ textus ad ſolos homines vitam mortalem communi modo in terra degentes, cur reſtringi non poterit ad ſolam univerſam terram ab iiſdem habitabilem? Quod ſi etiam daretur, Paradiſi locum aquis diluvii obrutum fuiſſe; quis prohibetur credere, eum poſtea ſuæ amænitati a Deo fuiſſe reſtitutum, nullo quidem eum colente, ſed terra ſponte ſua, & loci amænitate, aeriſque temperie arbores, floreſque germinante, Deo ſic diſponente, qui locum illum, ut amænitati, ac voluptati deſerviret, produxit? Certe clauſum quidem legimus Paradiſum hominibus poſt peccatum, nullibi tamen legimus eum fuiſſe deſtructum, ac ſublatum. Et propterea nullus eum unquam adire potuit, non quia amplius non ſit; ſed quia Deus non permittit illuc accedere, ut D. Thomas citatus docet, & inſuper *2. 2. qu. 164. art. 2. ad 5.*

Hæc ſunt, quæ Paradiſum ſupereſſe etiam nunc, probabile olim reddiderunt; an vero etiam modo probabile efficiant, penſatis omnibus, judicet prudens. Hoc unum Candidatum meum moneo: non proinde, quia aliud non capimus, vel quia nobis difficile captu apparet, ſtatim negandum eſſe, ac deſerendum. Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO III.

De ſtatu Hominis Innocentis quoad animam.

STatus innocentiæ fuit ille, in quo homo e manu Dei exivit, in quo multis prærogativis a ſuo Conditore ornatus fuit. *Quid enim* (ait Bernardus ſerm. 2. de Annunciat.) *illi deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, docebat veritas, regebat juſtitia, pax fovebat? Qui erat Paradiſi accola, terræ Dominus, Cæli civis, domeſticus Domini, frater Beatorum Spirituum, & Cæleſtium cohæres virtutum.* Has ergo ſublimes dotes, quarum & nos hæredes eſſemus, niſi infelices Protoparentes unico actu omnes prodegiſſent, in præſenti, & ſequentibus inveſtigare conabimur. Quia vero aliquæ ornabant animam, aliæ corpus: ideo S. Thomæ ordinem tenentes, prius dotes, quibus anima primi hominis fuerat inſignita, ſive quoad intellectum, ſive quoad voluntatem, cum eodem S. Doct. *1. par. qu. 94. 95. & 96.* percurremus.

Conveniunt Theologi Catholici, in triplici ſtatu poſſe conſiderari hominem; nimirum in ſtatu naturæ puræ, in ſtatu naturæ integræ, ſeu innocentis, & in ſtatu naturæ lapſæ. In primo ſtatu nunquam homo fuit, potuiſſe tamen a Deo in illo condi oſtendemus. In ſecundo fuit ante peccatum, & niſi peccaſſet, permanſiſſet. In tertio jacet in præſenti poſt peccatum obrutus miſeriis, ac ærumnis ex peccato relictis. De ſtatu innocentiæ agemus modo, deinde de ſtatu lapſus. Tandem de ſtatu naturæ puræ aliqua dicemus.

DUBIUM I.

Quali, & quanta ſcientia donatus fuerit Homo Innocens circa Deum, & Angelos.

§. I.

An ſtatus Naturæ integræ, & innocentis idem ſit?

I. DIrimenda primo venit controverſia, an ſtatus naturæ integræ, & innocentis pro eodem haberi debeant. Durandus enim *in 2. diſt.* 28. exiſtimavit, ſtatum naturæ integræ nihil aliud dicere, quam humanam naturam cum omnibus facultatibus ab ea naturaliter manantibus; quæ ſunt corpus juſtæ magnitudinis cum ſuis omnibus membris, & organis ſanitate, & vigore debito præditis; anima inſuper cum omnibus ſuis facultatibus, tum organicis, ſenſu ſcilicet, appetitu, & potentia loco motiva; tum inorganicis, intellectu nimirum, & voluntate cum carentia peccati quoad reatum pœnæ, & culpæ. Ex quo infert, non poſſe hominem condi in pura natura, quin etiam in ſtatu integræ naturæ creetur.

II. Verum modum hunc explicandi ſtatum naturæ integræ tamquam diminutum rejiciunt communiter Theologi; volentes, hunc ſtatum ad prædicta addere inſuper vigorem rationis ad continendum in debita obedientia appetitum ſenſitivum, ne præveniat rationem, ne repugnet ei; ſed voluntati ſecundum rationem imperanti ſtatim obtemperet. Quem vigorem in ratione, dicit Cajetanus, non eſſe naturæ ſimpliciter, quia a natura non fluit, nec ſimpliciter gratiæ, quia ex ſe non petit extendi niſi ad bonum naturæ rationali proportionatum, nempe vivere ſecundum rationem; ſed eſſe potius quodammodo naturæ, & quodammodo gratiæ; inquantum natura hoc non ex ſe habet, ſed ex conjunctione cum juſtitia originali vel cum alio ſpeciali dono, quod præciſa juſtitia originali, ei Deus confere potuiſſet. Et hic merito a Theologis ſtatus naturæ integræ nuncupatur; quia in eo omnia ſunt integra, nempe ſuis locis, ac terminis omnia continentur.

III. Ex his infertur, quod eſto in Adamo ſtatus naturæ integræ cum ſtatu innocentiæ, & juſtitiæ originalis conjuncti fuerint; eſt tamen ſtatus naturæ integræ a ſtatu juſtitiæ originalis ſeparabilis: potuit enim Deus dare naturæ rationali vigorem ſubjiciendi ſibi appetitum in ordine ad bonum rationis naturale, ipſam in ordine gratiæ non collocando. Addo: quod ſtatus innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis, eſto ſtatum integritatis naturæ, & vigorem ſubjicientem appetitum ad bonum rationis includat, aut ſupponat, plura alia addit dona, & privilegia, nempe immortalitatem, indolentiam, immunitatem a deceptione, & errore, ac vigorem ſubjicientem appetitum etiam in ordine ad bonum ſupernaturale. Quapropter non improbabiliter ab aliquibus ſtatus naturæ integræ, & juſtitiæ originalis conſiderantur diverſi ſtatus. Nunc ad rem veniamus.

§. II.

An Homo Innocens Deum clare viderit?

IV. DIco primo. Primus homo innocens clare, & per eſſentiam Deum non vidit ſecundum communem ſtatum illius vitæ. Ita S. Thom. *1. par. qu. 94. art. 1.* cujus ratio eſt iſta. Nullus videns Deum per eſſentiam poteſt voluntate averti a Deo, quod eſt peccare: nam videns Deum poſſidet ſupernaturalem beatitudinem; nullus autem ab eo beatitudine jam poſſeſſa, averti poteſt: & propter hoc omnes videntes Deum per eſſentiam ſic in amore Dei ſtabiliuntur, ut in æternum peccare non poſſint: ſed primus homo de facto peccavit; ergo ſecundum ſtatum illius vitæ Deum per eſſentiam non videbat.

V. Nec obſtat, quod Damaſcenus *lib. 2. Orthod. fidei cap. 11.* S. Auguſtin. *lib. 14. de Civit. Dei cap. 10. & 26.* dicant, quod primus homo erat beatus, fruens Deo — Nam reſpondet

det D. Thom. hic *ad 1.* quod homo in Paradiſo beatus fuit non illa perfecta beatitudine, in quam transferendus erat, quæ in viſione Dei conſiſtit, neque fruitione, quæ conſequitur ad realem poſſeſſionem ſummi boni; ſed beatitudine ſecundum quemdam modum, in quantum nihil ei deerat de integritate, & perfectione hujus vitæ, & fruebatur ſuo fine habito intentionaliter tantum.

VI. An vero primus homo viderit divinam eſſentiam per modum tranſeuntis, ſicut *in Tract. de Viſione* probabile reputavimus cum S. Doct. de Moyſe, & D. Paulo in raptu; hic non determinat S. Thom. ſed ait: *Niſi forte dicatur, quod viderit eum in raptu, quando Deus immiſit ſoporem in Adam, ut dicitur Geneſ.* 2. attamen partem negantem, ut probabiliorem amplectitur *qu. 18. de Verit. art. 1. ad 14.* dicens: *quia non expreſſe habetur, quod in illo ſopore Deum per eſſentiam viderit, poſſumus dicere, quod in illa extaſi elevatus fuit, non ad ipſam Dei eſſentiam videndum, ſed ad cognoſcenda quædam profundiora de divinis myſteriis, quæ ſecundum communem modum humanæ cognitionis tunc ſibi competebant.*

VII. Dico ſecundo. Primus homo eſto Deum per eſſentiam non viderit, habuit tamen altiorem de Deo cognitionem, quam nos habeamus. Ita S. Thom. laudatus, quod explicat ſic: Nos enim quia incurvati ad hæc ſenſibilia, & circa hæc occupati, impedimur, ne per aliud medium quam per ea Deum cognoſcamus: at, ut dicitur Eccleſiaſte 7. ver. 30. *Deus fecit hominem rectum;* hæc autem rectitudo hominis divinitus inſtituti erat, ut inferiora ſubdita ſuperioribus non impedirent hominem a rerum ſuperiorum cognitione. Unde homo non ſolum per effectus ſenſibiles, ſed maxime per intelligibiles, quos per irradiationem primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione, ſive gratuita Deum cognoſcebat, & ſic etiam clarius, quam nos. Quia *quanto aliqua creatura eſt altior, & Deo ſimilior, tanto per eam Deus clarius videtur; ſicut homo perfectius videtur per ſpeculum, in quo expreſſius imago ejus reſultat. Et ſic patet quod multo eminentius videtur Deus per intelligibiles effectus, quam per ſenſibiles, & corporeos.*

VIII. Hinc apparet differentia inter modum, quo primus homo cognovit Deum, & quo nos cognoſcimus. Nos enim per ſola ſenſibilia Deum cognoſcimus; ille per effectus intelligibiles Deum cognoſcebat: deinde per ſenſibilia nos, quaſi addiſcentes, notitiam Dei ex ſenſibilibus comparamus, ille jam per intelligibiles ſpecies edoctus, Deum, quem jam noverat, ex creaturis conſiderabat. Ita Div. Thom. qu. 28. de Verit. art. 2. in cap. *Nos nec Deum, nec alias ſubſtantias immateriales cognoſcere poſſumus naturaliter, niſi per res ſenſibiles. Sed ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in ſtatu innocentiæ, ut Deum cognoſceret per inſpirationem internam ex irradiatione divinæ ſapientiæ; per quem modum Deum cognoſcebat, non ex viſibilibus creaturis, ſed ex quadam ſpirituali ſimilitudine ſuæ menti impreſſa. Ita igitur in homine duplex cognitio erat: una, qua cognoſcebat Deum conformiter Angelis per inſpirationem internam; alia, qua cognoſcebat Deum conformiter nobis per ſenſibiles creaturas. Differebat autem hæc ejus ſecunda cognitio a cognitione noſtra, ſicut differt inquiſitio habentis habitum ſcientiæ, qui ex notis conſiderat ea, quæ quandoque noverat, ab inquiſitione addiſcentis, qui ex notis ad ignota nititur pervenire. Nos autem Deum aliter notum habere non poſſumus, niſi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus: Adam vero Deum aliter ſibi notum, ſcilicet per illuſtrationem internam, ex creaturis conſiderabat.* Hæc D. Thom.

IX. Obſervat quoque S. Doctor, quod duplex eſt medium: unum, *in quo ſimul videtur, quod per medium videri dicitur, ſicut cum homo videtur per ſpeculum, & ſimul videtur cum ipſo ſpeculo. Aliud medium eſt, per cujus notitiam in aliquid ignotum devenimus, ſicut eſt medium demonſtrationis.* Sine hoc medio primus homo videbat Deum, *non tamen ſine primo medio. Non enim oportebat, primum hominem pervenire in Dei cognitionem per demonſtrationem ſumptam ab aliquo effectu, ſicut nobis eſt neceſſarium; ſed ſimul in effectibus, præcipue intelligibilibus, ſuo modo Deum cognoſcebat.* Ita hac qu. 94. art. 1. ad 3. *Fortaſſis* (inquit Div. Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 33.) *Deus primis hominibus antea loquebatur, ſicut cum Angelis loquitur, ipſa incommunicabili veritate illuſtrans mentes eorum, etſi non tanta participatione divinæ eſſentiæ, quantam capiunt Angeli.*

X. Nec dicas. Sicut lux corporalis facit viſibile in actu, ita lux intelligibilis facit intelligibile in actu: ſed non poteſt viſibile actu videri, quin ipſa lux videatur; ergo non poteſt intelligibile videri, quin lux intelligibilis videatur; ergo ſi iſta lux reſpectu primi hominis erat ipſa incommunicabilis veritas illuſtrans mentem, ipſa quoque a primo homine vidente mentem ſuam, & intelligibilia videbantur.

Nam reſpondeo, diſt. min. quin ipſa lux, ut participata in ſubjecto, quod videtur, videatur, conc. min. ut eſt in ſubjecto a quo emanat, nego min. & utramque conſeq. Reſponſio eſt D. Thom. qu. 18. de Verit. art. 1. ad 10. *Ipſa* (inquit) *eſſentia divina comparatur ad intelligibilia, ſicut ſubſtantia Solis ad viſibilia corporalia. Non eſt autem neceſſe, ut qui videt colorem aliquem, videat ſubſtantiam Solis, ſed ut videat lumen Solis, prout eo color illuſtratur. Similiter non eſt neceſſarium, ut ille, qui cognoſcit aliquid intelligibile, videat eſſentiam divinam; ſed quod percipiat lumen intelligibile, quod a Deo originaliter manat, prout ipſe eſt aliquid intelligibile actu.*

§. III.

An primus Homo clare viderit Angelos?

XI. DIco. Primus homo non vidit Angelos clare, & per eſſentiam, eos tamen clarius cognovit, quam nos. Ita D. Thom. hac *qu. 94* art. 2. Et ratio eſt: quia anima primi hominis in ſtatu innocentiæ habebat quidem corpus perfecte ſubditum, & in nullo eam impediens; erat tamen accommodata ad corporis perfectionem, & gubernationem ſecundum vitam animalem, ſicut nunc: at animæ ſic accommodatæ tantum competit modus intelligendi per converſionem ad phantaſmata, quæ nullo modo repræſentare poſſunt Angelos ſecundum eſſentiam. *Sic igitur* (concludit S. Doct.) *anima primi hominis non poterat quidem videre Angelos per eſſentiam: ſed tamen excellentiorem modum cognitionis habebat de eis, quam nos habeamus; quia ejus cognitio erat magis certa, & fixa circa interiora intelligibilia, quam cognitio noſtra: & propter tantam eminentiam dicit Gregorius* (4. Dialog. cap.) *quod intererat Angelorum ſpiritibus*, non enim a ſenſibilibus diſtrahebatur, ſicut nunc.

Unde ibidem *ad ſecundum*, ait: *quod hoc, quod anima primi hominis deficiebat ab intellectu ſubſtantiarum ſeparatarum, non erat ex aggravatione corporis, ſed ex hoc, quod objectum ei connaturale erat deficiens ab excellentia ſubſtantiarum ſeparatarum. Nos autem deficimus propter utrumque.*

XII. Porro hunc modum cognoſcendi per converſionem ad phantaſmata habebat anima primi hominis, nedum quoad naturalia, ſed etiam quoad ſupernaturalia; hoc enim expreſſe docet S. Magiſter *qu. 18. de Verit. art. 5.* Cognitio enim per gratiam eſt quidem elevatior quantum ad res, quas facit cognoſcere; ſicut cum per gratiam fidei elevamur ad cognoſcenda myſteria, quæ ſunt ſupra rationem, & ſimiliter per gratiam prophetiæ; ſed quantum ad modum cognoſcendi non elevatur humana cognitio, niſi ſtatus mutetur: cum autem, ut dictum eſt, modus cognoſcendi animæ primi hominis, etiam in ſtatu innocentiæ, fuerit proprius animæ, dum eſt in ſtatu viæ, qui eſt per converſionem ad phantaſmata; ideo hoc modo debuit anima Adami cognoſcere tam naturalia, quam ſupernaturalia: niſi forte ponamus, eum per gratiam in altiorem ſtatum elevatum, ſicut fuit Paulus in raptu. Hæc eſt doctrina S. Thomæ loco laudato.

XIII. Nec dicas, quod Adamus in illo ſtatu omnibus corporibus dominabatur. Id enim concedo: ſed dominium, quod habebat ſuper res corporeas, non erat tale, ut poſſet exercere ſuas operationes abſque corpore, & abſque rerum corporalium miniſterio. Erat ergo in hoc, quod eis utebatur ſine impedimento; ita quod inferiora ſubderentur ſuperioribus, nec illa iſta impedirent. Sicut ergo pede, & manu utebatur, ut ſe inferioribus; ita & ſpeciebus, ac phantaſmatibus, ut nihil inferius poſſet illum impedire.

DUBIUM II.

Qualis, & quanta fuerit Hominis cognitio quoad alia.

§. I.

Reſolutio circa naturalia.

I. DIco. Primus homo in ſui conditione habuit cognitionem omnium rerum, quas naturaliter homines poſſunt cognoſcere. Ita D. Thom. *qu. 94. art. 3.* Id conſtare videtur ex *cap. 17.* Eccleſiaſtici, ubi deſcribuntur dona primis hominibus in eorum conditione collata; inter quæ ver. 5. legitur; *cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos.* Et ver. 6. *creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis.* Quare D. Auguſtinus lib. 5. Oper. imperfecti cap. 1. contra Julianum, qui, utpote Pelagianus, oppoſitum ſentiebat: *Neque* (inquit) *ſecundum Chriſtianam cogitatis fidem, qualis ſit factus Adam, qui univerſis generibus animarum vivarum nomina impoſuit; quod excellentiſſimæ fuiſſe indicium ſapientiæ, in ſecularibus etiam litteris legimus. Nam ipſe Pythagoras, a quo Philoſophia nomen exortum eſt, dixiſſe fertur, illum fuiſſe omnium ſapientiſſimum, qui vocabula primus indidit rebus.* Deinde oſtendit, quod, etſi hoc de Adamo non ſciremus; id tamen aperte conſtaret ex natura, quam undequaque perfectam, & ſine ullo vitio a Deo acceperat: quis enim, inquit, *exiſtimet non eſſe animi vitia, vel memoriæ, vel intelligentiæ tarditatem?*

II. Hinc probatur ratione D. Thomæ ſic. Ille, qui eſſe debebat primum principium aliorum hominum non ſolum per generationem, ſed etiam per inſtructionem, & regimen, debuit fieri, & eſſe perfectus, non ſolum quantum ad corpus per virtutem generativam, ut ſtatim poſſet alios generare, ſed etiam quantum ad animam, ut ſtatim poſſet alios inſtruere, & gubernare: atqui primus homo factus fuit, ut eſſet primum principium omnium aliorum hominum, non ſolum per generationem, ſed etiam per inſtructionem, & regimen: nec potuiſſet bene alios inſtruere, & regere, niſi habuiſſet notitiam omnium eorum, quæ ſtudio, & diligentia humana poſſunt cognoſci; ergo &c.

III. Confirmatur primo. Quæ Deus proxime, & immediate producit, ſunt perfectiſſima; ſicut enim Cæli, & ſydera cum tota ſua perfectione creata ſunt; ſicut plantæ, cæteraque animalia producta fuere cum tota perfectione ſuæ naturæ debita: ita de quacumque alia re a Deo immediate producta, *Dei enim perfecta ſunt opera* (Deuteron. 30. ver. 4.) ſed homo primus fuit immediatum opus Dei; ergo prodire debuit